BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
M
31
NAPOLI



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
VITIS
PHILOLOGORVM
NOSTRA AETATE
CLARISSIMORVM

VOLVMEN PRIMVM

AVCTORE

THEOPH. CHRISTOPH. HARLESIO

CVLMBACENSI.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

BREMAE

IMPENSIS GEOR. LVDOVICI FOERSTERI

CIƆIƆCCLXIV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

PHILIPPO ANDREAE

S. R. I. COMITI

DE ELLROD

SERENISSIMI MARGGRAVII BRANDENBVRGO-CVLMBACENSIS MINISTRO STATVS INTIMO

IN COMITIIS CIRCVLI FRANCONICI LEGATO EXCELLENTISSIMO

IVDICII CAESAREI PROVINCIALIS BVRG-GRAVIATVS NORIMBERGENSIS PRAESIDI GRAVISSIMO

PRAEFECTVRARVM PEGNITZ ET SCHNA-BELWEID PRAEFECTO SVMMO

ORDINIS AQVILAE RVBRAE EQVITI SPLENDIDISSIMO

DYNASTAE DROSSENFELDAE ET LAVS-NITZI

DOMINO AC MAECENATI INDVLGENTISSIMO.

ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME COMES,

DOMINE INDVLGENTISSIME!

In quo excelſiori atque illuſtriori loco collocati ſunt viri in republica verſantes; quo maiori dignitate atque auctoritate prae reliquis eminent; et quo maiori principum florent gratia: eo magis omnium oculos ſplendore ſuo perſtringunt; ſuaque luce tam fini-

Google

timas colluſtrant regiones quam remotas, ab omnibusque, patrocinii opisque aliorum indigis, habentur tamquam portus tutiſſimi, in quos fluctibus miſeriae calamitatisue iactati confugere poſſint: quum maxime viri iſti nullo faſtu elati hominibus vel infimae ſortis humanos ſe atque benignos praebent, omnes ſuas curas et cogitationes in ſalute ciuium, flore litterarum et mercaturae figunt: quas quidem virtutes, ſummum quemque virum ornantes, quilibet in TE *colit et admiratur*, COMES ILLVSTRISSIME. *Mihi enim de felicitate cogitanti, qua patria mea regnante* Sapientiſſimo Auguſtoque, FRIDERICO CHRISTIANO, *terrarum Byruthinarum palladio, a coelo ipſis demiſſo, ſuorum deliciis, inter cuius reliquas*

diui-

diuinas virtutes amor populi ſui haud infimum obtinet locum, nunc fruitur, ſaepius in mentem venit, multam illius TIBI, DOMINE, *partem deberi.* TVAS *enim virtutes,* TVAque *conſilia, patriae ſalutaria, et promerita in ſingulos ciues, quae ſi omnia, non dicam complecti orando; ſed percenſere numerando nequeam, magnitudini eorum et multitudini, atque infantiae meae inopiaeque dicendi adtribuendum putes, quanti aeſtimauerint principes, vel ex ampliſſimis honoribus, quibus mactatus es, effici poteſt.* TE, DOMINE, *non ſolum* Diuus Fridericus *in altiſſimo gradu dignitatis collocauit, ſuaque gratia dignatus eſt, ſed etiam, qui nunc regnat,* Sereniſſimus Princeps, *quem laetum populo ſuo quam diutiſſime intereſſe,*

omnes boni optant et precantur, *in eadem amplitudine retinuit*, *nouisque auxit ornamentis. Neque* Auguſtiſſimo Caeſari *rarae* TVAE *virtutes eſſe potuerunt diu incognitae*, *quarum ſe aeſtimationem non ſatius declarare poſſe*, *arbitratus eſt*, *quam* TE *ad maiorem dignitatem euehendo*, *Sacrique Romani Imperii dicendo Comitem*: *quod nouum ornamentum*, *quam gratum et quam probatum viſum fuerit Sereniſſimo noſtro principi*, *ex publicis litteris patet. Horum igitur* TVORVM, COMES ILLVSTRISSIME, *honorum ſplendore*, TVARVMque *virtutum ac meritorum in patriam cogitatione excitatus*, *communique laetitia perfuſus*, *hunc libellum Illuſtriſſimo nomini* TVO *inſcribere*, *eumque meae erga* TE *pietatis monimentum*

aere

aere perennius *eſſe volui; quam deuoti mei animi tabulam vt ſerena fronte eaque benignitate, qua omnes, qui* TVAM *implorant fidem et tutelam, nec patrocinio* TVO *plane indigni* TIBI *videntur, et ſuſcipere ſoles beneuole et benigniſſime fouere, accipias, meque ipſum cura* TVA *et prouidentia* TIBI *commendatum habeas, rogo oroque vehementiſſime. Atque ego de* TVA *benignitate meaeque ſalutis cura eo minus dubito, quod eam mihi, in quo quidem valde glorior ſumma quod cum animi grati et pietatis ſignificatione palam profiteor, iam aliquoties teſtificari voluiſti. Ego vero Deum T. O. M. ſupplex oro, vt* TE, DOMINE, TVAMque illuſtriſſimam familiam, *valetudine omnibusque bonis florentem et patriae, et clientibus* TVIS,

quorum numero vt me perpetuo adſcribas, etiam atque etiam oro, ad vltimam vitae humanae metam peruenire iubeat. Scribeb. Erlang. d. II. Calend. Decembr. CIↃIↃCCLXIII.

NOMINIS TVI
ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

DEVOTVS CLIENS

THEOPHILVS CHRISTOPH. HARLES.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Homines, quorum tota vita aliorum imitatio eſſe videtur, ad virtutis amorem ingeniique cultum magis exemplis magnorum virorum, quam praeceptis optimis excitari, atque ex hac laudabili aemulatione ciuitates artesque magnum incrementum cepiſſe, tam antiquitas docet, quam aetas recentior. Vti enim ad regis exemplum ciues, et ad imperatoris ingenium milites componuntur; ita aemulantur multi eorum diſciplinam, qui magnam doctrinae famam ſunt conſequuti. Atqui licet de multis, quibus vel ingenium deeſt, vel doctrina, illud dici poſſit;

O imitatores, ſeruum pecus, vt mihi ſaepe
Bilem, ſaepe iocum veſtri mouere tumultus!

iuuat

iuuat tamen honeſta illa aemulatio communem reipublicae vtilitatem: tardiora etiam ingenia aut ſegniora ad induſtriam praecipue accenduntur maiorem. Qui autem in tribuendis animi virtutibus naturam habuerunt fautricem, illi, dum laudes meritaque magnorum virorum legunt, acuuntur ad maiora tentanda; atque pudore quaſi ſuffuſi, ad famam gloriamque adſpirant, et propter ingenii felicitatem facile, quo volunt, perueniunt. Atque etiam multi, qui faſtu elati alios, quibus ſe ingenio atque eruditione antecellere putant, alto ſupercilio deſpiciant, quando legerint, eſſe, qui pari eruditionis et ſcriptorum floreant gloria, humanitatis modeſtiaeque legibus magis parebunt. Hoc conſilio philologorum nominis fama celebrium vitas deſcribere, atque, ſi fieri poſſit, hoc inſtituto, plures, quam hodie ſunt, ad litteras bonas amandas impellere conatus ſum. Paucos vero eſſe in Germania ſuperiori, qui in his litteris, praeſertim Graecis, diligenter verſentur, maxime dolendum eſt. Quot enim ſunt, qui cum pari laude

laude ad Graecarum litterarum vtilitatem et ſplendorem et vniuerſae eruditionis ornamentum iis tantam operam ſtudiumque tribuant, quantam viri doctiſſimi, Erneſti, Heilmannus, Reiskius, Klotzius, Fiſcherus, Krebſius, Schwaebelius? Admodum adhuc pauci erunt, quorum tamen gloriae, eos non adpellando, nihil detrahere audeo. Equidem arduum eſſe fateor, hominum, qui adhuc in viuis ſunt, vitas enarrare: quis enim placidus erit lector ſuorum vitiorum, quibus tamen pro imbecillitate noſtrae naturae nemo caret? Multa igitur ſunt reticenda, quae tamen vitas illorum, nec pauca librorum loca mire illuſtrent; multa vero dicenda, quae quibusdam lectoribus vel leuia videantur vel ſcitu plane non neceſſaria. Etſi vero neceſſitati cedere, nec vitiis cuiusque enarrandis odium colligere debui, me tamen veritatis quam maxime fuiſſe amantem, ex vitis clariſſimorum virorum, *Burmanni* et *Klotzii*, quas vt lector aequus prius legat, quam de meis laboribus iudicium ferat temerarium, vehe-

vehementer opto rogoque, quilibet facile perſpiciet. Videbit, me neque amico adulatum eſſe, neque eius aduerſarium conuiciis laceſſiuiſſe. In his autem, vt eo melius verſarer, aliorum verba deſcribere, quam illa mea facere, ſatius eſſe duxi. Pari deinde ingenio atque eruditione cunctos, quorum vitam exhibeo, non eſſe, multorumque me virorum vitam ſcriptaque, qui in his tamen litteris principes habentur, non commemoraſſe, nullus nego. Ego vero, quia veram, certam, plenamque vniuscuiusque hiſtoriam ſcribere volui, (etſi enim in quibusdam cl. *Stoſchium* in neuen gelehrten Europa, et ven. *Brukerum* in Pinacotheca ſequutus ſim, id tamen numquam feci, niſi lima adhibita) eos, de quorum vitis ſcriptisque nondum ſatis mihi conſtabat, in hoc volumine, quod quidem valde doleo, omittere coactus fui. Mihi vero gratulor, cui plurium, quam iniqui vanique homines opinentur, vitas, qui Franconiam meam fama nominis atque humanitatis illuſtrarint, vel ad-

huc

huc ornent, exponere contigit. Atque ſpero fore, vt in altera parte, quae forte plurium exterorum vitas continebit, aut in alio opere, in quo, ſi hos labores viris doctis non diſplicuiſſe videro, vitas philologorum, hoc ſaeculum ornantium, ſum enarraturus, plures meorum popularium aliique, qui in his excellant litteris, certe compareant. Quod quo felicius citiusque procedat, humaniſſime rogo viros doctos, vt meum ſtudium adiuuent, et, quae in ſcriniis deliteſcant, mecum beneuole communicent. Grato ſemper animo horum voluntatem agnoſcam et laudabo. Iam iis gratias agerem, qui hoc in libello conſcribendo luculenta mihi amicitiae et fauoris exhibuerunt documenta, niſi eorum modeſtia interceſſiſſet. Hoc tamen commemorabo, vitam *Heuſingeri* a viro docto, Toepfero, digno diſciplinae Heuſingerianae quondam alumno, munere Conrectoris in Gymnaſio Ratisbonenſi cum laude nunc fungente; obſeruationes autem ad illam ab alio viro docto, cui multum me debere ingenue fateor, et quem

ob

ob raras animi virtutes fidemque amicitiae tamquam ocellos meos amo, eſſe additas. His omnibus gratias ago debitas meque illis, ſpondeo, ad omnia humanitatis officia futurum eſſe paratiſſimum. Quae viri docti quorum vitae in hoc libello extant interea temporis, quo reliqui Gottingam, cuius memoria propter academiae auctoritatem et celebritatem et propter beneficia, ibi in me collata ac multorum doctiſſimorum hominum fauorem atque amorem, quo me proſequuti ſunt, ſemper grata iucundaque erit, ediderint, in altero volumine indicabo. Tu vero, L. B. ignoſce mihi, qui meo promiſſo ac recepto propter varios caſus temporiſque iniquitatem citius ſatisfacere non potui erim, meisque conatibus faue, et errata operarum, quibus tollendis praeeſſe non potui, emenda.

Scribebam Erlangae d. II. Cal. Decembr. cIↄIↄCCLXIII.

CHRI-

CHRISTIAN GOTTLIEB SCHWARZIVS

Comes Palatinus Caeſareus, Philoſophiae Moralis, Hiſtoriae, atque Eloquentiae Profeſſor publicus ordinarius in academia Altorfina, bibliothecae, et beneficiariorum Noricorum Inſpector, academiae Caeſar. Leopold. Carolinae naturae curioſorum et regiae Boruſſicae ſocietatis ſcientiarum collega, ac ſocietatis florigerae ad Pegneſum Praeſes.

Magnum fuit ingenium, magna fama *Chriſtiani Gottliebii Schwarzii*, atque immortalia cum de diuinis humaniſque litteris, tum de academia Altorfina, merita. Vere mihi hoc videor eſſe dicturus: *Schwarzium* ſummis iis viris, qui inde a reſtauratis litteris rem litterariam iuuerunt et ornauerunt, accenſendum, illique locum inter heroas illos, Salmaſios,

Scaligeros, Lipſios, Heinſios et paucos alios, tribuendum eſſe. Nam quaecunque ſingula in aliis laudamus et magni facimus, ea in noſtro coniuncta fuiſſe videmus. Fuit primum in eo accurata cognitio linguarum cum veteris, tum noſtri aeui, non tantum omnium: elegantiſſimus fuit poeta, probabilis orator, atque, quamuis acutus et ingenioſus, doctus tamen et timidiuſculus fere criticus, qui non ingeniolo confiſus vrere et ſecare, ſed ea, qua decet, religione veneranda antiquitatis monimenta tractare didicerat: Theologiae et hiſtoriae ſcientia fuit praeclara et copioſa inſtructus, neque ſolum antiquam, quam dicunt, et fabuloſam, cuius linguae vtriusque poetae auctores ſunt, ſed etiam recentiorem atque illam, quae plurimum moleſtiae atque obſcuritatis, parum iucunditatis habet, et quam medii aevi hiſtoriam dicunt, accurate calluit: quaecunque humanitatis doctorem perficiunt, complexus fuit animo omnia: tenuit antiquitatis memoriam, rem numismaticam, iuris romani rationem et hiſtoriam: praeterea delectatus eſt ſemper philoſophia, non iſta horrida, et modo elingui, modo inepte garrula, ſed eleganti atque venuſta, cuius multa capita praeclare illuſtrauit. Si, vt nulla eſt rerum humanarum omnibus partibus abſoluta, quid defuerit *Schwarzio*, dicere debeamus: iucundo, ſuaui, quod alliciat lectores, quod capiat, teneat,

neat, delectet, dicendi genere illum caruiſſe dicemus. Nam etſi puro, Latino et bono uſus eſt, deſideramus tamen in illius ſcriptis illam orationes λειότητα illamque virtutem, quam neſcio an latine bene dicere queamus; Dionyſius autem venuſtiſſime ſic expreſſit: ὅτι πίνος αὐτῇ καὶ χνοῦς, ὁ τῆς ἀρχαιότητος ἠρέμα καὶ λεληθότως ἐπιτρέχει, χλοερόντέ τι καὶ τεθηλὸς καὶ μεστὸν ὥρας ἄνθος ἀναδίδωσι. quae vertat quisque, vt lubet, nos non aptiora potuimus verba ponere ad ſententiam noſtram clare exprimendam. Forte etiam diſplicebunt alicui in illius ſcriptis longiores de rebus notis diſputationes, quibus tamen non ſatis harum litterarum peritis bene conſuluit. Quid multa? Si tantum habuiſſet *Schwarzius* ingenii, quantum aſſiduitatis et diligentiae in eo fuiſſe videmus, nihil potuiſſet eo perfectius fingi et cogitari. Verum non omnia omnibus, vt eſt in prouerbio, Muſae dederunt. Illa autem, vt eo redeamus, praeclara eruditio omnium doctorum cultum et admirationem *Schwarzio* conciliauit. Sed fuerunt etiam in illo plures virtutes, quae illum ſuis amabilem, iucundum amicis, et omnibus bonis carum redderent. Quid enim amabilius eſſe poteſt animo illo rerum diuinarum maximo ſtudio incenſo, earumque veneratione pleno: omnibus beneuolo, in neminem vlla maleuolentia ſuffuſo: a vana laudum et hono-

rum cupiditate abhorrenti: contento aurea mediocritate et ſorte ſua: comi eodem, facili, omnium commodis inſeruire cupienti: ſimplici, conſtanti et amicorum amantiſſimo, in quo denique nullas ſordes, nullam calliditatem, quam hominum vitium virtutem fecit, nihil humile et abiectum reperiſſes? His adde perpetuum litterarum ſtudium, aſſiduam in ſcribendo et docendo diligentiam, blandam oris et vultus gratiam, ſuauitatem in dicendo et grauitatem, atque illam ex ipſis oculis eminentem comitatem et ſerenitatem mentis. Quae omnia qualia tandem quantaque nobis videri debent? Nobis quidem de virtutibus, ingenio, et ſcriptis *Schwarzii* cogitantibus ſaepius (quid enim homini ingenuo et liberali neque inuido alienae laudis iucundius eſſe poteſt, quam de praeclaris viris, et bene de republica meritis cogitare?) nobis igitur ſaepius in mentem venit, nihil defuiſſe *Schwarzio* ad maiorem in Germania gloriam amplioresque honores conſequendos, quam externam patriam. Vtinam, quod patriae noſtrae a compluribus crimini datum eſt, eam et negligere ſaepius ſuos, et plerumque non iis honoribus, laudibus, praemiis ornare, quae praeclaris eorum virtutibus debeantur, vtinam hoc crimen ab inuidis aut maleuolis effictum eſſe, poſſemus oſtendere! Sed in propoſito maneamus. *Schwarzium* igitur, ſi aut in Belgio

gio aut in Francogallia natus fuiſſet, longe maiori in his terris fama florere, illiusque ſcripta multo diligentius legi videremus. Nihil certe magis dolemus, quam nullum bibliopolarum, qui tot gallica dulcedine, ſi dIs placet, et elegantia adſperſos libellos quotidie nitidiſſime deſcriptos edunt, omnia *Schwarzii* ſcripta, quorum pleraque fruſtra quaeruntur, colligere, atque eorum editione bene de litteris mereri! Verum hoc quidem optare facilius quam ſperare poſſumus. Nos certe memoriam doctiſſimi viri, quantum in nobis eſt, commendabimus poſteritati, atque de vita illius paullo adcuratius exponemus.

Leisnicium (*Leisnig*) oppidum eſt Miſniae, perueruſtum, nec hiſtoriae Germanicae ſtudioſis ob duces illos, quos *Burggrauios* dicunt, et quorum olim ſedes fuit, ignotum. Hic noſter anno ſuperioris ſaeculi LXXV. die V. Septembr. natus fuit. Patrem habuit *Paullum Matthiam*, ſcholae rectorem, a quo etiam prima litterarum elementa didicit. Paullo poſt Lipſiam miſſus atque liberalitate cognati cuiusdam ſuſtentatus *Jo. Gideone Gellio* praeceptore vſus eſt. Huius *Gellii*, cui deinde ſcholae Dresdenſis Crucianae cura commiſſa fuit, magna tum fuit fama, illiusque in docenda iuuentute diligentia etiam nunc multorum ſermone celebratur. Ob praematuram vero patris mortem Lipſia poſt

aliquot annos abiit, in eorum iuuenum numerum receptus, qui in ſchola prouinciali Grimmenſi ducis electoris Saxonici munificentia aluntur, atque inſtituuntur. Docuerunt tum in ſchola hac *Tobias Petermannus*, *Io. Wolfgangius Schoenbachus*, *Georg. Ermelius* et *Samuel Iacobi*, quorum ſi quis nomina nullis ſcriptis clara eſſe miretur, ille, plurimum temporis inſtituendae iuuentuti doctoribus in his ſcholis eſſe tribuendum, cogitet. Sex annis in hac ſchola peractis, nihil magis noſter optauit, quam vt Lipſiam, benignam illam iam antea ſuorum ſtudiorum nutricem, rediret. Verum non potuit, quae ei a nobiliſſimis viris offerebatur, prouinciam iuuenis nobilis *de Schleinitz* erudiendi, recuſare. Probauit etiam ſuam integritatem et fidem omnibus, atque multis muneribus acceptis, poſt duo annos Lipſiam peruenit. Annum tum noſter egit tertium et viceſimum. Laetari vero *Schwarzius* vehementer, ſe tandem ad eos fontes delatum eſſe, e quibus expleret omnis liberalis doctrinae cupidiſſimum animum: doctiſſimos viros, quibus ſemper floruit Lipſienſis academia, adire; ab eorum ore pendere, dies noctesque de vera et accurata eruditione ſibi comparanda cogitare. Audiuit quidem *Gottl. Hardtium* philoſophiam, et *Chriſtianum Ludouici* diſputandi artem tradentes: ſcholis *Io. Gottfr. Herrichii*, (cuius extant carmina graeca

graeca eaque ſatis venuſta, et qui ſaepenumero *Cyrilli* nomen ſibi impoſuit) poetas graecos interpretantis diligenter adfuit: a *Gottl. Fr. Seligmanno*, et *Henr. Pippingio* artem dicendi didicit. Praecipuam vero operam dedit *Godofr. Oleario*, viro, quidquid, qui nunc quaſi agmine facto in eum impetum faciunt, dicant, graece et latine doctiſſimo, et *Adamo Rechenbergio*, qui noſtrum conſilio et re ſemper iuuerunt. Quoniam etiam ſanctiori doctrinae ſe tum dicauerat, doctores ſequutus eſt *Io. Olearium*, *Io. Cyprianum*, et *Io. Schmidium*, qui tum academiam Lipſienſem ornabant. Declamauit etiam bis in templo Paullino: diſputauit publice, et mox philoſophiae Baccalaureus renunciatus fuit. Adcidit eo tempore, vt nobiliſſimus heros *de Wolframsdorff*, vir et genere, et multis praeclaris virtutibus excellentiſſimus, certam pecuniam conſtitueret, vnde duodecim iuuenes gratis in academia Vitembergenſi alerentur, atque *Schwarzium* in horum numero eſſe iuberet. Anno igitur huius ſaeculi primo noſter Wittebergam Lipſia abiit.

Illuſtrabatur tum temporis academia Wittebergenſis in primis duobus viris, quorum nomina praeſtantiſſimis ſcriptis impreſſa et immortalitati tradita ſunt: *Conr. Sam. Schurzfleiſchio* et *Io. Deutſchmanno*, theologo primario, et paterno animo iuuentutem amante.

Hi noſtrum beneuole ſuſcipere, et quibuscunque mŏdis illius rationibus optime conſulere. Orationibus aliquot et diſputationibus habitis, Magiſtri philoſophiae honoribus ornatus a. IIII. Lipſiam rediit, vbi poſt quinque anno collega tertius ſcholae Thomanae conſtituitur. Hic vero videre poſſumus, ſaepe viros doctos non ſtatim ampliſſimis muneribus condecorari, et duro ſaepenumero et difficili initio aetatis vti; alios vero, quibus ſe fortuna benigniorem praebeat, nullis meritis nixos viris doctis et praeclaris praeferri. Atque illam quidem fortunam prae aliis eos experiri animaduertimus, qui ſe graecis et latinis literis dederint. Sed quid *Schwarzius* noſter? Hic animum non dimittere: docere ſedulo iuuenes optimas artes: atque perpetuum laborem in litterarum ſtudiis ponere. Etiam nomen dedit ſocietati Anthologicae, quae inde a *Rappolti*, *Pufendorfii*, *Telleri*, aliorum, temporibus tum Lipſiae floruit, cuique inſtituto, quod, quantum nouimus, ſenſim exſpirauit, libros aliquot non contemnendos debemus, et iuuentuti quoque academicae ſui copiam fecit. Quid igitur mirum, non diu hanc virtutem, hoc ingenium, hanc eruditionem in ſchola delituiſſe? Anno enim nono, quo anno Lubecam quoque et Gedanum inuitatur, a curatoribus celeberrimae academiae Altorfinae, ſemper viris de his litteris bene meritis ornatae, eloquentiae

et

et poetices profeſſor conſtituitur. Quo poſteaquam peruenit, philoſophiae etiam moralis docendae prouinciam accepit, cui paullo poſt hiſtoriarum profeſſio adiuncta fuit. Nam qui ea adhuc magna cum laude functus erat, *Koehlerus* Gottingam diſceſſit. Poetices tamen docendae munus *Spieſſio* reliquit. Quantum hanc academiam ſcriptis illuſtrauerit, doctrina iuuerit, nihil opus eſt multis dicere. Teſtantur hoc complura illius ſcripta: teſtantur, qui ex ipſius ſcholis prodierunt, viri docti permulti. Quo vero amore eamdem academiam proſequutus ſit, facile inde adparet, quoniam largis conditionibus ſaepe Helmſtadium, Halam, Francofurtum ad Viadrum, et Gottingam inuitatus omnibus aliis academiis Altorfinam ſuam praetulit. De moribus *Schwarzii* iam ſupra diximus; et de ſcriptis paullo poſt erit dicendi locus. Quare hoc tantum addimus: fuiſſe in *Schwarzio* ardentiſſimum pietatis et religionis ſtudium. Multos aduerſos caſus, multas aerumnas pertulit, ſed ſemper animum rerum diuinarum et coeleſtis laetitiae cogitatione erexit et recreauit. Non ſolum in templis et domi ſacra fecit, ſed etiam (unde optime cuiusque opiniones et ſententiae elucent) e tota vita adparuit ille, quo animus plenus fuit, pietatis ſenſus. De morte cogitauit ſemper, ſed ita, vt neque contemneret eam, neque timeret. Totam enim vitam ſic

egit, vt ſe parare videretur ad illud iter, quod omnibus ineundum eſt. Quae quum ita eſſent, nihil optauit magis, quam vt repentina morte exſtingueretur, quam ſummum Dei beneficium exiſtimauit ſemper. Neque his precibus optimi *Schwarzii* ſummum numen defuit. Nam die XXIV. Febr. a. LI. apoplexia tactus animam coelo reddidit. Natus fuit annos LXXV. Hic fuit finis, haec vita viri praeſtantiſſimi, cui noſtras litteras, quarum egregius vindex fuit, plurima debere, niſi ingratiſſimi videri velimus, fateamur neceſſe eſt. Addamus praeterea alia quaedam, ad *noſtri* vitam pertinentia.

Vxores *Schwarzius* in matrimonium duxit tres, ſemper morte amoribus illius infeſta. Liberos procreauit ſex, quos omnes ipſe extulit, praeter vnam filiam, quae *Io. Nicolao Weiſſio*, medicinae doctori experientiſſimo, nupſit. Bibliothecam collegit praeſtantiſſimam. Multi in ea fuerunt libri calamo exarati: complures ſub initia inuentae typographicae artis excuſi, aliique alias ob cauſas rari: multa etiam ἀνέκδοτα et quam plurimae litterae e priſcis temporibus aſſeruatae. Decanatum philoſophici ordinis, vt aiunt, duodecies; munus Rectoris ter ſumma cum laude geſſit. Amicitiam coluit cum multis, illiusque vſum crebris litteris confirmauit. Diſcipulorum magna floruit multitudine, quos non aliter,

quam

quam pater filios, amauit. Si horum commodis aliquo modo inſeruire ſe poſſe videret, lubenter hoc fecit. Multi *Schwarzio* omnem fortunam debent. Docuit ſemper litteras ſumma cum modeſtia, quae maxime earum doctorem decet. Ventoſa illa loquacitas, illa iactantia, illa conuiciandi libido, ille aliorum contemtus, quae vitia multorum ſunt propria, numquam non ab noſtro abſuerunt Habiti etiam noſtro honores ſunt a multis magni. Nam et a. XXIII. ab auguſtiſſimo imperatore *Carolo VI.* dignitatem Comitis Palatini accepit, et a potentiſſimo, qui nunc Germanico imperio praeeſt, *Franciſco*, aurea catena, auguſta *Franciſci* imagine ornata, donatus fuit. Cooptaverunt etiam noſtrum in collegium ſuum celeberrima ſocietas naturae curioſorum, et Boruſſica ſocietas ſcientiarum. Denique etiam ſocietati florigerae ad Pegneſum praefuit. Quod ad ſcripta *Schwarzii* adtinet, magnus eorum eſt numerus, et quorum catalogum iam plures ante nos contexuerunt. Nos quidem operam dedimus, vt omnia, ſi fieri poſſet, indicaremus lectoribus, atque etiam vere nobis gloriari poſſe videmur, neminem ante nos plura dediſſe. Neque tamen nullum a nobis praeteritum fuiſſe iurare audemus. En vero tibi ſcriptorum indicem:

Diſput. *de cauſis dialectorum ſpec. graecarum,* Witteb. cIↃIↃCCII.

Pane-

Panegyricus Dno. *Herm. de Wolframsdorf &c. Heroi in toga maximo &c. dictus,* Witteb. cIↄIↄcciii. Fol.

Diſp. II. *de morte Ahitophelis*, Witteb. cIↄIↄcciiii. recuſ. ibid. cIↄIↄccxxii.

Diſp. II. *de ornamentis librorum apud veteres vſitatis*, Lipſ. cIↄIↄccv. & vi. ter recuſae.

Progr. ad orat. *de oratore in republica*, Altorf. cIↄIↄccviiii. Fol.

Progr. ad oration. *de felicitate academiae Lipſienſis, tertium originis ſuae ſaeculum ſacro ſollemnique ritu celebrantis*, cIↄIↄccviiii. Fol. recuſ. cum ipſa oratione.

Progr. ad orat. *de glorioſa Tornaci expugnatione et ſubſequuto ad Bauacam praelio*, cIↄIↄccviiii. 4. recuſ. cum oratione.

Progr. *ad exequ. D. Iac. Pancr. Brunonis, Medic. Profeſſoris primarii*, cIↄIↄccviiii. Fol.

Diſp. *de orat. concinna*, cIↄIↄccviiii.

Diſp. *de limitibus pietatis liberorum erga parentes*, cIↄIↄccx.

Program. *de variis methodis legum naturalium exponendarum*, ad orat. de philoſophia morali veterum Germanorum, cIↄIↄccx. recuſ. cum oratione.

Progr. ad orat. *de glorioſiſſima victoria ad Caeſar. auguſtam obtenta*, cIↄIↄccx. Fol.

Progr.

Progr. ad orat. D. *M. Dom. Io. Henr. de Obernüz* &c. *ſacram*, cIↃIↃCCX. Fol. recuſ. cum orat.

Progr. *ad exequ. Ge. Paul. Roetenbeccii, P. P.* cIↃIↃCCX. Fol.

——— *Io. Iac. Voit de Wendelſtein* &c. cIↃIↃCCX. 4.

Progr. *ad exequ. Obſtfelderi*, L. L. ſtud. cIↃIↃCCX. 4.

Diſp. III. *de ornamentis librorum* &c. cIↃIↃCCXI. auctiores recuſae.

Diſp. *de ſortibus poeticis*, cIↃIↃCCXI. rec. cIↃIↃCCXXXIII.

Diſp. I. et II. *de controuerſiis iuris N. et G. ex hiſtoria graeca illuſtratis*, cIↃIↃCCXI.

Orat. *panegyr. diuo Ioſepho, Rom. imper.* Altorfii. cIↃIↃCCXI. dicta. Vna cum programmate, atque oratione panegyrica in curia Noribergenſi habita, at a *Schwarzio* conſcripta, reliquisque ſcriptis lugubribus in libro, ſuprema pietatis monimenta, inſcripto, Altorf. et Noriberg. cIↃIↃCCXI. in Fol. eſt recuſa. Lunigius primam orationem in collectione orat. procerum typis exſcribendam curauit.

Progr. ad orat. *de beneficiis Dei ſub noui anni auſpiciis celebrandis*, cIↃIↃCCXI. 4.

Progr. ad orat. *de potentiſſ. S. R. I. foederatorum rebus ſuperiori anno glorioſiſſime geſtis*, cIↃIↃCCXI. in 4.

Progr.

Progr. *ad exequ. Erh. Schadii de Mittelbibrach*, cIↃIↃccxI. in 4.

Progr. *ad exequ. Paul. Chriſt. Prenneri*, I. V. Licent. cIↃIↃccxI. in 4.

Progr. *ad exeq. Ge. Chriſt. Vogelii*, theolog. ſtud. cIↃIↃccxI. in 4.

——— *I. Mich. Nittingeri*, theolog. ſtud. eod. an.

Progr. *ad exequ. Laur. Lud. Apini*, med. cult. cIↃIↃccxI. in 4.

Progr. *ad exeq. Laur. Lud. Mulleri*, jur. ſtud. eod. an. et form.

Progr. *de ſacro Taurobolio roman.* ad orat. lig. de ſeruatoris recens nati beneficiis hum. gen. praeſtitis, cIↃIↃccxII. Fol.

Progr. ad orat. *de eloquentia Germanorum, in primis veterum*, cIↃIↃccxII in 4.

Progr. *ad exeq. Suſ. Mar. vxor. D. Io. Gu. Baieri, P. P.* cIↃIↃccxII. Fol.

Progr. *ad exequ. Dan. Guil. Molleri, P. P.* eod. an. ead. forma.

Progr. *ad exeq. Ge. Schultzii, Rect. ſchol. Altorf*, cIↃIↃccxII. in 4.

Progr. ad orat. graec. *de iurisprudentiae et Graecae linguae ſtudio coniungendo*; in quo verſibus graecis anacreonticis laudes graecae linguae decantantur, cIↃIↃccxIII. in 4. recuſ. cum. orat.

Progr.

Progr. ad orat. *de felicitate Magorum ad Chriſtum venerandum ex oriente profectorum*, cIↄIↄccXIII. in 4.

Progr. ad orat. graec. *de hoſpitalitate*, cIↄIↄccXIII. in 4.

Progr. *ad exeq. Annae Cathar. vxor. D. Fel. Spizii, Anteceſſ.* cIↄIↄccXIII. Fol.

Progr. *ad exeq. Mar. Magdal. vxor. D. Henr. Hildebrandi Anteceſſ.* cIↄIↄccXIII. Fol.

Progr. *ad exeq. Chriſt. Andr. Buttneri, poligraphi*, Alt. cIↄIↄccXIII. Fol.

Diſp. III. *de controuerſiis I. N. et G. &c.* cIↄIↄccXIII.

Diſp. *de aemulatione ad Vell. Paterc. L. I. c. VII.* eod. an.

Diſp. *de adfectuum morali aeſtimatione*, cIↄIↄccXIII.

Praefatio breuis: *an athei ſint refutandi, praemiſſa Jac. Thomaſii* hiſtoriae atheismi, Altorf. cIↄIↄccXIII. 8.

Praefat. *de logomachia eruditorum in doctrina adfectuum Laelii Peregrini libro ſingulari de noſcendis et emendandis adfectibus, itemque Vinc. Placcii ſuccinctae hiſtoriae ſtudii moralis*, Lipſiae, cIↄIↄccXIIII. 8.

Diſp. *de poetis cyclicis*, cIↄIↄccXIIII.

Diſp. *de fatis vocum quarund.* cIↄIↄccXIIII.

Diſp. *de collegio Vtriculariorum ad ill. veterem inſcriptionem*, eod an. in miſcellaneis polit. humanitatis recuſa eſt.

Progr.

Progr. ad orat. de affectatis auguſtioribus gentium quarundam originibus, *in quo Norimbergenſes de academia Lipſienſi bene meriti recenſentur*, CIↃIↃCCXIIII. 4.

Progr. ad orat. ſoll. *quae iuueni principi Car. Frid. Guil. Marchioni Onold. natalem diem gratulatur*, eod. anno, Fol. recuſ. cum oratione.

Progr. *ad exequ. Annae Mariae vxor. Io. Dau. Koeleri P. P. eiusque filiolae Marg. Lucret.* Fol.

Progr. ad orat. de mirabili quorumdam populorum et imperiorum ortu atque interitu, *in quo Noribergenſes de academia Witteberg. bene meriti recenſentur*, CIↃIↃCCXIIII. 4.

Progr. ad orat. de pace, *in quo Noribergenſes de acad. Witteberg. bene meriti adhuc commemorantur*, CIↃIↃCCXV. 4.

Progr. ad orat. in laudem Heresbrucci, *in quo Noribergenſes de acad. Witteberg. bene meriti adhuc recenſentur*, CIↃIↃCCXV. in. 4.

Progr. *ad exeq. Henr. Sontagii, med. cult.* eod. an. Fol.

Progr. *ad exeq. Io. Frid. Heuſii, theol. ſtud.* CIↃIↃCCXV. Fol.

Diſp. *de Auguſtorum Caeſarumque Rom. tribunitia poteſtate*, CIↃIↃCCXV.

Diſp. *de inſignibus ordinis equeſtris veterum Romanorum*, CIↃIↃCCXV.

Epiſt.

Epiſt. gratulatoria, in qua *de primo doctrinae moralis principio agitur*, *adiecta Ge. Alb. Hagendornii* ethicae tripartitae, editae a Io. Conr. Hagendornio, Norimb. cIↄIↄccxv. in 8.

Diſp. *de ornamentis codicum veterum*, cIↄIↄccxvi. recuſ. xxxiii.

Epiſt. *de imper. Friderici V. ſymbolo elementario* A. E. I. O. V. ad D. Chriſtoph. Furerum ab Haimendorf &c. perſcripta, cIↄIↄccxvi. Fol.

Oratio *genethliaca, ſer. archid. Auſtr. Leopoldo*, cIↄIↄccxvi. *nato, in academia Altorfina dicta*. Vna cum progr. inuit. Altorf. eod. anno. Fol.

Io. Er. *Kappius* in clariſſimorum virorum orationibus ſelectis p. 752 ſeqq. recudendam illam curauit.

Progr. ad orat. de Diis conſeruatoribus commenticiis veterum paganorum; in quo *adhuc Noribergenſes de acad. Witteberg. bene meriti recenſentur*, cIↄIↄccxvi. 4.

Progr. ad orationem *de magnarum illuſtriumque familiarum ſupplemento per adoptionem*, cIↄIↄccxvi. 4. rec. cum orat.

Progr. *quo ſignificabantur ſollemnia iubilaei Lutheran. ab academia celebranda*, cIↄIↄccxvii.

Progr. ad orat. de magnis mundi viciſſitudinibus; *in quo Noribergenſes de acad. Ienenſi bene meriti recenſentur*. cIↄIↄccxvii. 4.

Progr. *ad exeq. D. Fel. Spizii, antec. primar.* cIↄIↄccxvii. Fol.

Progr. *ad exequ. Guſtau. Gabriel Imhofii, praef. opp. Altorf.* cIↄIↄccxvii.

Progr. *ad exeq. D. Chriſtoph. Sontagii, P. P.* cIↄIↄccxvii. Fol.

Laurus getica ſiue carmen lyricum Carolo VI. Rom. imper. &c. CaesIs ottoMannIs et BeLLograDo eXpVgnato &c. inſcriptum Fol. In eius carminibus excuſum eſt.

Diſp. *de libris plicatilibus veter.* cIↄIↄccxvii.

Diſp. *de abuſu abſtractionis metaphyſicae in doctrina morum.* cIↄIↄccxvii.

Diſp. *de falſa methodo dirigendae intentionis.* cIↄIↄccxvii.

Diſp. IIII. *de controuerſiis I. N. et G.* cIↄIↄccxviii.

Diſp. *de iure victoris in res deuictorum incorporales.* cIↄIↄccxviii.

Progr. ad orat. de meritis Phil. Melanchtonis in rem litterariam Noribergenſem, in quo *Noribergenſes de acad. Ienenſi bene meritos recenſere pergit auctor.* cIↄIↄccxviii. 4.

Progr. *ad exequ. Mariae Chriſtianae, vxoris D. Ephraim Gerhardi, ICti.* cIↄIↄccxviii. Fol.

Progr. *ad exequias Chriſtoph. Andr. Mulleri, Rect. ſcholae Altorf.* cIↄIↄccxviii. 4.

Progr. *ad exequ. I. Mich. Fritzii, Iur. Stud.* eod. anno Fol.

Progr.

Progr. *ad exeq. D. Ephraim Gerhardi, ICti.* cIↄIↄccxviii. Fol.

Progr. ad orat. de Senio naturae humanae; *in quo Noribergenſes de academia Ienenſi bene meriti adhuc recenſentur.* cIↄIↄccxviiii. in 4.

Progr. *elegiacum ad orationem, qua memoria Seculi Cariae Noribergenſ. recolebatur,* cIↄIↄccxviiii. Fol. recuſ. in *Schwarzii* carminibus.

Progr. *ad exeq. Io. Frid. Hagen, Iuris cultor.* cIↄIↄccxviiii. Fol.

Progr. *ad exeq. Iul. Mar. Barb. vxoris D. Io. Iac. Baieri, P. P.* eodem anno, eademque forma.

Praefatio *de ordine tradendae iurisprudentiae natur.* praemiſſa *Io. Schefferi Grotio* enucleato. recuſ. Altorf. cIↄIↄccxviiii. 8.

Diſp. contin. *capita quaedam doctrinae antiquariae* cIↄIↄccxviiii. auctior recuſa in miſcellan. politior. humanitatis.

Diſp. *de piis fraudibus,* cIↄIↄccxviiii. recuſa cIↄIↄccxxxvii.

Oratio panegyrica Dominae Eleonorae Magdalenae Thereſiae, coron. Roman. Auguſtae, in acad. Altorfina dicta, vna cum program. inuitatorio. cIↄIↄccxx. Fol.

Hanc orat. Io. Sigismundus Gabr. Holzſchuher de Aſpach Germanice vertit, et Lunigius in libro: das angenehme Labyrinth

der Staats- und Gelehrten Zeitung ... Beredſamkeit. (Lipſ. cIɔIɔccxxv. 8.) p. 1. ſeq. locum ei dedit.

Ciceronis commentarioli de petitione conſulatus. Accedunt aliae quaedam Quincti ſcriptorum reliquiae, recenſuit in vſum auditorum. Altorf. cIɔIɔccxx. 8.

L. P. Drepanii Panegyricus Theodoſio Auguſto dictus. Altorf. 8.

Nullius quidem anni, quo editus eſt, iniicitur mentio, ſed circa hoc tempus publicatum eſſe, ſuſpicamur.

Programma ad orat. de geniis hominum vrbiumque tutelaribus; in quo *Noriberg. de acad. Argentorat. bene meriti commemorantur.* xx. 4.

Progr. *ad recit. carmen elegiac. de Chriſto patiente.* xx. 4.

Progr. *ad exequias Io. Conr. Zeltneri, Paſt. Altenhann.* xx. Fol.

Progr. *ad exequias Cathar. Sabinae, viduae D. Henr. Linkii,* ICti. xx. Fol.

Progr. *ad exequias Io. Georg. Schmidii, Iur. Cultor.* xx. Fol.

Progr. *ad inſtit. acad. Rintelenſis ſacrum ſaeculare celebraturae.* xxi. Exſtat quoque in faſtis acad. Altorfinae. eod. anno, pag. 159 ſeqq.

Progr. ad orat. *de hominum e morte reſuſcitatorum exemplis ex hiſtoria profana repetitis.* xxi. 4. Recuſum in Beyſchlagii ſylloge. Faſc. I.

Progr.

Progr. *ad exeq. Io. Car. Lotheri, Phil. Studioſ.* cIɔIɔcc x x I. Fol.

Progr. *ad exequias Mar. Eliſab. vxoris Georg. Henr. Linkii, ICti.* eodem anno, eademque forma.

Diſp. *de modo numerandae tribunitiae poteſtatis Auguſtorum Caeſarumque* Roman. x x I.

Miſcellanea politioris humanitatis. Accedit Metii Voconii orat. Tacito Aug. dicta, et nunc e codice MSto recognita. Noriberg. x x I. 4.

Sulpiciae Satyra de ſtatu reipublicae Romanae temporibus Domitiani. Altorf. x x I. 8.

Diſp. *de affectatione veterum Romanor.* x x II.

Epiſtola de Noriberga ab ortu ſuo imperiali, et a nexu municipali libera; Subiuncta orationi Wadſtromerianae de curiis regiis comitiisque ante ſanctionis Caroli tempora Noribergae celebratis. Altorf. x x II. 4. Adiecta eſt *Schwarzii decuria Roncalienſis.*

Diſp. I. *problematum Iuris N. et G.* x x II.

Progr. *ad exequ. Io. Chriſtoph. Hoffmanni, Poligraphi.* Altorf. x x II. Fol.

Progr. *ad exequ. Regin. Margarethae, viduae D. Chriſtoph. Sontagii, Theologi primarii.* x x II. Fol.

Progr. ad orationem de multitudine mundorum; in quo *Noribergenſes, qui olim in academia Ingolſtadienſi inclaruerunt, commemorantur.* x x III. 4. recuſum cum oratione.

Diſp. *de tempore ludorum ſaecular. ſub Philippis Auguſtis celebratorum.* x x III.

Diſp. *de Butigulariis, praecipue illis, qui Noribergae olim floruerunt.* CIƆIƆCCXXIII. recuſ. XXXXXIII.

Diſp. II. *problematum Iuris N. et G.* XXIII.

Acta ſacrorum ſaecularium academiae Altorfinae in ordinem redacta, addita breui expoſitione, de ortu et progreſſu academ. Altorf. itemque commemoratione ſollemnium iſtius ſacri ſaecularis feliciter celebrati. Altorf. XXIII. Fol. Nonnulla quoque programmata, carmina, oratio ſaecularis, litterae &c. a *Schwarzio* conſcripta in illis reperiuntur.

Diſp. *de antiqua numeri ſenarii nota ἐπίσημον dicta; ad illuſtr. locum de hora mortis Chriſti. Ioan. XVIIII,* 14. CIƆIƆCCXXIIII.

Diſp. III. *problematum Iuris N. et G.* XXIIII.

Progr. *ad orationem* de fulminibus ordini litteratorum fatalibus; *in quo vita Petri Apiani exponitur.* XXIIII. 4.

Progr. ad oration. de anno magno; in quo *de priſcis Dominis Burggrauiisque Leisnicii differitur.* XXV. 4.

Progr. ad oration. de morte Chriſti teſtimoniis ſcriptorum profanorum commemorata; complectens *hymnum Graecum in Chriſtum.* XXV. 4. rec. Noriberg. 4. et in noſtri carminibus.

Diſſ. epiſtolica *de quodam vetuſto monimento ſepulcrali, in oppido Neukirchenſi prope Neoſtadium in Auſtria reperto. Raym. Duellii excer-*

cerptis genealogico-hiſtoricis p. 304. ſqq. inſerta Lipſiae cIↄIↄCCXXV.

Diſſ. *de varia ſuppellectile rei librariae veterum.* XXV.

Diſſ. continens *expoſitionem veteris inſcriptionis de Aeſculapio et Hygaea, Diis* φιλανϑϱώποις *ad illuſtr epiſt.* Tit. III. 4. XXV.

Diſp. *de iure hominum naſciturorum.* XXV.

Diſp. *de ſacrorum deteſtatione.* XXVI. recuſ. XXVIII.

Diſp. *de ſpeculatoribus veterum Romanorum ad illuſtr. Marc. VI, 27. et alia N. T. loca.* XXVI.

Diſp. continens *lemmata quaedam antiquitatum Noriberg.* XXVI.

Diſp. IIII. et V. *problemat. I. N. et G.* eod. an.

Progr. ad orat. de caris reliquiis virorum quondam eruditorum; in quo *Noribergenſes, qui in academia Regiomontana inclaruerunt, commemorantur.* XXVI. 4.

Progr. *ad funus Io. Henr. Furwergeri, Theol. ſtudioſi.* XXVI. Fol.

Progr. ad orationem de vetere academia Platonis, academiae Altorfinae imagine, in quo *Noribergenſes de academia Iulia bene meriti recenſentur.* XXVII. 4.

Progr. ad recit. carmen elegiacum de triumpho I. C. e mortuis reſcuſcitati; in quo *exempla quaedam Noribergenſium de re ſacra bene meritorum ex annalibus Ge. Spalatini MSt. excerpta proponuntur.* XXVII. 4.

Progr. ad orationem de Noriberga a Lothario Imperatore ante hos ſexcentos annos imperio vindicata, in quo *ſtemma Richenzae Auguſtae, vxoris Lotharii imperatoris exhibetur.* cIↄIↄCCXXVII. 4.

Diſp. continens *obſeruationes criticas ad loca quaedam Lat. Pac. Drepanii, ope codicis manuſcripti illuſtrata.* XXVII. recuſ. Venetiis XXVIII; et adiunctae Panegyricis veteribus cum commentario *Iacobi de Baune* iterum excuſis.

Diſp. VI. *problematum I. N. et G.* XXVII.

Diſp. VII. *problematum I. N. et G.* XXVIII.

Diſſ. *de Diis clauigeris ad illuſtr. Apocal. I, 18.* cIↄIↄCCXXVIII. recuſa XXXXIIII.

Carmina collecta et edita ſtudio M. Sigism. Iacobi Apini. Noriberg. XXVIII. 8. maior.

Horum carminum inſignis quoque numerus in binis tomis carminum Latinorum ſelectorum a M. *Io. Tobia Roenickio* collectorum inuenitur.

Coſmae chronicon ad exemplar Freheri recuſum et vberioribus notis hiſtoricis illuſtratum, atque Tomo I. Script. rerum Germanicarum a *I. B. Menkenio* inſertum. Fol.

Progr. *ad exequias Andr. Schmidii, Oeconomi.* XXVIII. 4.

Progr. *ad exequias D. Io. Guil. Baieri, P. P.* XXVIIII. Fol.

Progr. *ad. exeq. D. Henr. Hildebrandi, ICti.* XXVIIII. Fol.

Progr.

Progr. ad orationem de more educandae inſtituendaeque iuuentutis apud veteres Romanos; in *quo Noribergenſes quidam, qui Moguntiae olim inclaruere, commemorantur.* cIↃIↃCCXXVIIII. 4.

Progr. *ad exeq. D. Io. Ge. Fichtneri, rectoris magnifici.* XXVIIII. Fol.

Progr. *ad exeq. Henr. Rabi, Theol. ſtud.* eod. anno. Fol.

Diſp. continens *obſeruationes criticas ad loca quaedam Panegyrici Pliniani.* XXVIIII.

Diſp. VIII. *problematum I. N. et G.* XXX.

Diſp. *de obligatione poſſeſſoris bonae fidei ad rem domino reſtituendam.* XXX.

Diſp. *de antiquo ritu eleuandi principes inaugurandos, et de quibusdam ſacris formulis et eleuandi caerimoniis.* XXX.

Diſp. *de lapſu primorum parentum a paganis adumbrato.* XXX.

Memoria comitatus et Burggrauiorum Leisnicienſium reſuſcita. Inſerta Tom. III. *Menkenii* ſcript. rerum German. itemque ſeorſim excuſa. XXX. Fol.

Progr. *quo ſignificabantur ſollemnia iubil. Auguſt. confeſſ.* XXX. form. pat. *Oda ſaecularis,* rec. inter carmina latina.

Progr. *ad exeq. Ierem. Foch, Theol. ſtudioſi.* XXX. Fol.

Progr. *ad exeq. Ioannae Mariae, vxor. D. Chriſtiani Henrici Freisleben,* ICti. XXX. Fol.

Progr. ad carm. epic. de Auguſt. confeſſ. in quo *Noribergenſes quidam de Auguſt. confeſſione bene meriti commemorantur*. cIↃIↃccxxx. 4.

Progr. ad *exeq. Io. Henr. Mulleri, P. P.* xxxi. Fol.

Progr. ad *exeq. Annae Cathar. vxoris D. Ge. Fridr. Deinlini*, P. P. xxxi. Fol.

Progr. *in funus Matth. Arn. Clieſeneri, L. L. Cultor.* xxxi. Fol.

Diſp. *ad prooemium Inſtitutionum iuris, e collatis XII. codd. MSStis variisque libris impreſſis.* xxxi. rec. cum diſp. de omnium exemplarium Pandectarum deriuatione e Florentinis. Lugd. Batau. xxxviiii. 4.

Diſp. *de aetate et ſtatura militari veterum ad ill. Epheſ.* IIII. 13. cIↃIↃccxxxi.

Diſp. VIIII. *problematum I. N. et G.* xxxi.

Spicilegium obſeruationum ad panegyricum Plinii. xxxii.

Progr. *de quibusdam comitiis relig. iuriumque ſacrorum cauſſa ante ſaecul. XVI. Noribergae celebratis.* xxxii. 4.

Index diplomatum, quae tempore comitiorum cIↃcccLvi. *a Carolo IIII. Noribergae celebratorum fuere promulgata*; item *recenſio variorum aureae bullae exemplarium cum MSSt. tum typis excuſorum*; ſubiuncta orationi Holzſchuherianae de comitiis cIↃcccLvi. Noribergae celebratis, in quibus aurea bulla fuit condita. Altorf. xxxii. 4.

Progr.

Progr. ad *exeq. Chriſtoph. Guil. Scheurl de Defersdorf.* cIↄIↄccxxxii. Fol.

Progr. ad *exeq. Hier. Chriſtoph. Stengeri.* L. L. Cult. xxxiii. Fol.

Progr. *ad exeq. Berth. Loſſhagenii. Decur. Boruſſorum.* xxxiii. Fol.

Progr. *ad orat. panegyr. memoriae Friderici Auguſti Polon. regis, et Elect. Sax. dicatam.* Adiectae ſunt duae odae lat. xxxiii. Fol.

Diſp. *an omnia Pandectarum exemplaria e Florentinis emanauerint.* xxxiii.

Spicilegium nouum obſeruationum ad panegyricum Plinii. xxxiiii.

Spicilegium nouiſſimum obſeruationum ad panegyricum Plinii. eod. anno.

Progr. ad orat. de ludis equeſtribus olim Noribergae celebratis, in quo *de generoſiſſima Kreſſiorum gente agitur.* xxxiiii. 4.

Progr. *ad exeq. Sab. Clarae Winckleriae de Mohrenfels. nat. Weglecteriae.* xxxv. Fol.

Progr. *ad exeq. Magn. Dan. Meyeri, Typographi.* xxxv. 4.

Progr. *ad exeq. Beni. Wedelii, Bibliopolae.* eod. anno. 4.

Progr. *ad exeq. Hel. Sib. natae Wagenſeilii, viduae Dan. Guil. Molleri, P. P.* xxxv. Fol.

Progr. *ad exeq. D. Io. Iac. Baieri, P. P.* xxxv. Fol.

Progr. *ad exeq. Io. Frider. Meſſereri, Theol. ſtudioſi.* xxxv. Fol.

Diſſ.

Diſſ. *de faſtorum Rom. formula: poſt conſulatum.* cIↄIↄccxxxv.

Huius diſſertationis elegantiſſimae auctor eſt cl. *Nagelius* P. P. et ſucceſſor *Schwarzii* digniſſimus, ab illo pro conſequendis ſummis in philoſophia honoribus habitae.

Corollarium obſeruationum ad panegyr. Plinii. xxxv.

Diſſ. *de* γϱαμματεῦσι, *magiſtratu ciuitatum Aſiae proconſularis, ad ill. Act.* XVIIII, 35. cIↄIↄccxxxv.

Diſp. *de Caduallo, rege Saxon. anno* DCLXXXVIIII. *Romae mortuo.* xxxvi.

Diſp. *de Mathilde, Abbatiſſa Quedlinb. aliquando Vicaria imperii.* xxxvi.

Progr. *in quo tria diplomata Henrici VII. regis Rom.* ad orat. ἐγκωμιαςικὴν de Noriberga. xxxvi. 4.

Praefatio *ad Hieronem Xenophontis a Max. Rud. Heluetio e Graeco in Latinum ſermonem verſum.* Norib. xxxvi. 4.

Progr. *ad orat. genethal. in natal. iuuenis principis Caroli Frid. Auguſti, March. Onold.* xxxvi. Fol.

Progr. *ad orat. ſollemnem in coniug. Franciſci, Duc. Lothar. et Mariae Thereſiae, Archid. Auſtriae.* xxxvi. Fol.

Progr. ad *funus Chriſti. God. Laur. Rinkii, Iur. cultor.* xxxvi. Fol. In *I. C. Fiſcheri* ſe-

lectis

lectis et rarioribus Latini purioris monimentis p. 68. ſqq. recuſum eſt.

Progr. ad *funus Euae Barb. vxoris M. Nic. Ern. Zobelii, Paſt. Raſch.* cIↃIↃCCXXXVI. Fol.

Progr. ad *funus Chriſtoph. El. Oelhoſii de Schoellenbach. Praefecti Altorf.* XXXVI. Fol.

Progr. ad *funus Mar. Roſ. M. Io. Leonhardi Schwaegeri, P. P. filiae.* XXXVI. Fol.

Progr. ad *inaugurat. acad. Gottingenſis.* XXXVII. Fol.

Progr. ad orationem de exemplis quibusdam antiquae nobilitatis Noribergenſium; in quo *Noribergenſes quosdam de ſacris emendatis bene meritos recenſere pergit.* eod. anno 4.

Diſp. continens *poſitiones hiſtoricas.* XXXVII.

Diſp. *de Henrici VI. imperatoris Romana eaque ignominioſa coronatione.* XXXVII. *Cel. Wegelinus* in theſauro ſuo rerum Sueuicarum ab interitu, qui ſcriptis paucarum plagellarum imminere ſolet, nuper liberauit.

Diſſ. *de S. R. I. Archiſcutifero.* XXXVIII.

Diſquiſitiones academicorum problematum XXXXIII. iuris N. et G. in vnum faſciculum collectae. XXXVIII. 4.

Diſp. *de ritibus quibusdam formulisque a manumiſſione ad S. Baptiſmum translatis.* XXXVIII.

Progr *ad exeq. Car. Maur. Hofmanni, I. V. D.* XXXVIII. Fol.

Progr.

Progr. ad *exeq. Io. Ge. Buttneri, acad. notarii,* cIɔIɔccxxxviii.

Progr. *ad orationem memoriae Henr. de Reck in Fattingau* &c. ſacram. xxxviii. Fol.

Progr. ad *exeq. Mar. Dorotheae, vid. Magn. Dan. Omeis, P. P.* xxxviii. Fol.

Progr. *ad exeq. Nic. Schiklingii, acad. miniſtri.* eod. anno. 4.

Progr. *ad funus D. Ge. Henr. Linkii, ICti.* xxxviiii. Fol.

Progr. *ad exeq. Iod. Guil. Koblesii, acad. typographi.* xxxviiii. 4.

Progr. *ad exeq. Eliſab. Iac. vxoris Io. Iac. Kirſtenii, pharmacop.* xxxviiii. 4.

Obſeruatt. ad panegyricum Cl. Mamertini Maximiniano Aug. dictum. xxxviiii.

Erläuterung des akademiſchen *Problematis* von des H. R. Reichs-Erzſchildherrn-Amte. Altdorf xxxviiii. 4.

Spicilegium obſeruatt. ad panegyr. Cl. Mamertini Maximiniano Aug. dictum. xxxx.

Diſpp. III. *de origine typographiae.* xxxx.

Progr. *ad exeq. Io. Frid. Vogelii, Theol. cult.* eod. anno. Fol.

Progr. *ad exeq. Ben. Guil. Bittneri, Praefecturae Altorf. a litteris publicis.* xxxx. Fol.

Progr. *ad exeq. Mariae Clarae, filiae D. Io. Guil. Baieri, Theol. Altorf.* xxxx. Fol.

Progr. *de vita b. Hieron. Ebneri, Duumuiri Noriberg.* ad orat. de ſtatu inclutae reipubl.

No-

Noriberg. ſub initium regiminis Caroli IIII. cIↃIↃccxxxx. 4.

Progr. *ad orat. ſaecul. in laudem typographiae a Germanis inuentae et propagatae*, vna cum duabus odis ſaecularibus. xxxx. Fol.

Progr. ad orat. de praecipuis memorabilibus anni ſuperioris xxxx. in quo *VIII. epiſtolae Lutheri ex autograph. recenſentur.* xxxxi. 4.

Diſſ. *de Maximino imper. ad illuſtrand. fragmentum veteris inſcriptionis Oeringae nuper repertum.* xxxxi.

Panegyricus D. Carolo VI. Rom. imper. in maiori atrio curiae Noriberg. dictus. Noribergae xxxxi. Hunc Germanice vertit *Chriſto. Carl Kreſſ von Kreſſenſtein*, atque eodem loco annoque in lucem edidit.

Diſſ. *de vetuſto quodam diptycho conſulari et eccleſiaſtico.* xxxxii.

Gründliche Ausführung der des H. R. R. Stadt Nürnberg zukommenden Verwahrung der Reichs-Inſignien, auch beſt-gegründeten Reprotestation wider die neulichen und unbefugten Aachiſchen Proteſtation und Anſprüche. Altdorf xxxxii. Fol.

Progr. ad *funus Ge. Rich. Meyeri, typographi.* xxxxii. 4.

Progr. ad *funus Io. Frid. Fleiſchmanni.* Med. Doct. xxxxii. Fol.

Progr.

Progr. ad *exeq. Thomae L. B. de Szirma, Tribuni trium mill. Vngar. peditum.* cIↄIↄccxxxxIII. Fol.

Progr. *in inaugurationem acad. Erlangenſis.* xxxxIII. Forma pat.

Diſſ. *de Irenarchis.* eod. anno.

Diſſ. *de commiſſatione veterum ad illuſtr. I. Petri IIII, 3.* cIↄIↄccxxxxIIII.

Ex hiſtoria Arnolfi imper. ſententiae quaedam dubiae et controuerſae. xxxxIIII.

Progr. ad *exeq. Demetr. de Boſicz, Praefecti Hung. turmae equeſtris.* xxxxIIII. Fol.

Progr. *in obitum D. Io. Iod. Becki, ICti.* xxxxIIII. Fol.

Progr. ad *exequias Caroli Ben. Ebneri ab Eſchenbach.* eod. anno.

Progr. *in ſaecularia ſacra ſecunda acad. Regiomontanae.* eod. anno. Forma pat.

Progr. ad *exeq. D. Euch. Gottl. Rinkii, Anteceſſ. prim. et acad. Senior.* xxxxv. in Fol.

Progr. ad *exeq. M. Samuel Seizmeieri.* xxxxv. Fol.

Epiſtola ad D. Paul. Iac. Marpergerum, in qua vita D. Carl. Guil. Marchdrenkeri de Hoëgena breuiter recenſetur, cum reliquis ſcriptis lugubribus typis excuſa eſt Noribergae xxxxv. Fol.

Diſſ. *de roſtris fori Romani loco concionibus ſollemni.* eod. anno.

Pane-

Panegyricus memoriae D. Caroli VII Romani imperat. in maiori atrio curiae Noribergenſis dictus. Noribergae, cIɔIɔccxxxxv. in Fol. A quodam, neſcio quo, germanice verſus et ibidem eſt typis exſcriptus.

Obſeruatt. ad Cl. Mamertini panegyricum genethliacum Maximiniano Auguſto dictum. cIɔIɔccxxxxvi.

Diſſ. *de foro Appii et tribus tabernis ad illuſtr. Actor. XXVIII; 15.* xxxxvi.

C. Plinii C. S. panegyricus Caeſari imperat. Neruae Traiano Aug. dictus, quem ex XII. codd. MSStis librisque collatis recenſuit, ac notis obſeruationibusque, item et numis aere exſcriptis illuſtrauit, ſimulque adiectis integris pariter atque excerptis virorum eruditorum commentationibus inſtruxit Chr. Gottl. Schwarzius &c. *cum indice omnium vocabulorum a M. Andr. Goetzio.* Norib. xxxxvi. 4. maior.

In hoc opere concinnando, quod vnum *Schwarzii* nomen immortalitati commendat, magnam aetatis ſuae partem conſumſit, nec ad illud ornandum vllis pepercit ſumtibus. Hinc factum eſt, vt omnes, qui de litteris iudicare poſſent, hunc feliciſſimum ingenii *Schwarziani* foetum ſummis efferrent laudibus. Quidquid a ſummo critico, a perſpicaciſſimo antiquitatum atque vniuerſae philologiae interprete poteſt poſtulari, id noſter optime praeſtitit omni adparatu et litterarum politiorum cognitione

inſtructus. *Arnzenius* quidem, qui ante noſtrum in edendo *Plinii* panegyrico verſatus eſt, ſuam editionem noſtri ornauit et locupletauit obſeruationibus: ſed erant illae ex diſſertationibus, quas de hoc argumento ſupra recenſuimus, depromtae, quibus multo plures melioresque dedit *Schwarzius* in editione ipſa.

Progr. *ad exeq. Chriſto. Frider. Treſenreuteri, Theol. D. et P. P.* a. XXXXXVI. Fol.

Progr. *ad exeq. Annae Mariae, viduae Carol. Maur. Hoffmanni, I. V. D.* a. XXXXXVII. Fol.

Progr. *ad exeq. Chriſtian. Guilhelm. coniugis D. Stephani Ferd. Fichtneri, Onold. Conſil. Iuſt.* eod. anno.

Obſeruatt. ad Cl. Mamerti panegyr. genethliacum, pars altera. eod. an.

Progr. *ad orat. ſollemnem in memoriam ſaecularem pacis Weſtphalicae.* a. XXXXXVIIII. Fol.

Progr. *ad funus Cathar. Charl., viduae D. I. Ge. Fichtneri, ICti.* eod. an.

Diſſ. *de columnis Herculis.* eod. an.

Diſſ. *de figuris patheticis ex Eſaia illuſtratis.* an. L.

Progr. *ad funus M. Io. Martin Haſii, Cantor. et oppidanae ſchol. collegae.* eod. an. Fol.

Vorrede von den verſchiedenen Meinungen vom Urſprung der kayſerlichen hohen Gerechtſame und der Landeshoheit teutſcher Fürſten, zu Joh. Mich. Friedr. Lochners otiis. Nürnberg, 1751. 8.

De

De ornamentis librorum et varia rei librariae veterum ſuppellectile, diſſertationum antiquarum ſexas. Primum collegit et recenſuit atque praefationibus indicibusque neceſſariis inſtruxit M. Io. Chriſti. Leuſchnerus. Lipſiae, an. cIↄIↄccLV. 4.

Has ſex diſpp. *Schwarzii* iam ſupra ſuo quamque loco laudauimus.

Carmina latina, collegit ediditque D. Io. Barth. Riederer. Franc. et Lipſiae (Altorf.) a. LVI. 8.

Apinus in collectione carminum ſupra commemoratorum *Riederero*, qui munere Profeſſoris Theologiae in academia Altorfina nunc fungitur, reliquit ſpicilegium.

Obſeruationes ad Guil. Henr. Nieuportii compendium antiquitatum Romanarum, praemiſſa breui introductione; editae cum praefatione I. A. M. Nagelii, P. P. Altorf. a. LVII. 8.

Epiſtola gratul. *quum Dn. Hier. Guil. Ebner de Eſchenbach, eques S. R. I. crearetur* a. cIↄIↄccXXII. *ſcripta.* Adiuncta eſt *I. P. Roederi libro de colloq. Wormienſi.*

Binae *Schwarzii* litterae ad *Io. Henr. Ackerum* in *Fiſcheri* Latii purioris monimentis pag. 82. ſeqq. reperiuntur; plures tamen in *Willii*, Profeſſoris acad. Altorfinae celebris, commercio epiſt. Noriberg. part. I. II. et III. Idem *Willius* plurium edendarum, forſan integri litterarum commercii *Schwarziani*, ſpem fecit.

Inſtitutiones oratoriae editae cura *Nagelii.* In his etiam ſunt quaedam de interpunctione obſſ. breues artis epiſtolographicae inſtitutiones et principia carminis elegiaci.

In ſcriniis adhuc latent plurimae orationum a litterarum ſtudioſis habitarum, quarum mentio ſupra facta eſt, collegium Anacreonticum; collegium Epigrammaticum in *Martialem*; obſſ. in *Sulpiciae* Satyram. Haec ſcripta vt edantur, nec non diſpp. philologg. ſaltim eae, quae ad illuſtrandum N. T. conſcriptae ſunt, typis repetantur plures optant, et ab induſtria *Nagelii* collectionem diſputationum et reliqua forſan communicata accepimus.

Praeter ea nondum vidit lucem. "Wohl„gegründete Beantwortung der ſogenannten „unpartheyiſchen Prüfung, ob und wie weit „der von Ihro Maieſtät der Königin zu Un„garn und Böhmen an Dero Herrn Gemahls, „des Herzogs von Lothringen, Grosherzog von „Toscana Hoheit, beſchehener Auftrag der Mit„regentſchaft über die ſämtliche Oeſterreichiſchen „Königreiche und Lande; nicht minder der Ad„miniſtration der Böhmiſchen Churwürde nach „den Fundamental-Geſetzen und Verfaſſungen, „auch der Obſervanz ſowol des H. R. R. als „beſonders ermeldeter Oeſterreichiſcher Erbkönig„reiche und Lande, gegründet ſey. 1741. Auf

„Begeh-

„Begehren J. K. M. von Ungarn ꝛc. ausgefer„tiget, und in das K. Kabinet geliefert."

Multa noſter nomine aliorum elaborauit, quae, vt alia momenti leuioris, praetermittimus, multas nempe epiſtolas diſputationibus ſubiunctas, carmen Germanicum in Amarantis hiſtoria Societatis florigerae ad Pegneſum deſcriptiones nonnullorum vetuſtorum librorum in Arbeiten der Gelehrten im Reich, et alia ſcripta in Faſtis Altorfinis recuſa.

Multa inchoata reliquit *Schwarzius*. In his tamen opus quoddam, a *Schwarzio* quidem inceptum, a *Mullero* autem rectore Hamburg. cIↄIↄccLv. abſolutum, notatu dignum videtur. *Ge. Caſtrictus*, Comes ex Epiro ortus, monimenta, quae ad ordinem *Conſtantini* pertinent, anno cIↄIↄLxxxxIIII. e Graeco quidem ſermone in Latinum transtulit, ſed pingui Minerua. Quae verſio quum principi *Io. Rud. Cantacuzeno* ſummo huius ordinis praeſuli diſpliceret, *Schwarzio* noſtro laborem iniunxit, qui vero, primo tantum capite partis primae Latine verſo, diem obiit ſupremum.

M. IOANNES PAVLLVS REINHARD

Antiquitatum, Eloquentiae et Poeſeos Profeſſor publicus ordinarius in academia Erlangenſi.

Quum hiſtoria et litterae humaniores quoddam commune habeant vinculum, et quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur, id quod non ſolum antiquiſſimorum ſed etiam noſtrorum temporum viri docti, qui in illis haud mediocriter verſati ſunt, comprobarunt: illi ſane, qui famam boni hiſtorici auferre cupiant, bene ac ſapienter agunt, ſi, quidquid temporis ſupereſt, id litteris Graecis et Latinis linguaeque vernaculae conſecrent. Maturius enim et vitia illorum, ſi omnia, quorum veteres adcuſantur, in peccatis ſunt ponenda, cognoſcunt, et ornatum, atque venuſtatem, quae quidem virtutes noſtrorum hiſtoricorum plurimis deſunt, multum tamen et ad vtilitatem faciunt et ad commendationem, felici imitatione conſequuntur. Quae noſter quum perpenderet, iam ab adoleſcentia cognoſcendae hiſtoriae et litteris optimis plurimum temporis tribuit; quamquam eum pater iuſſerat omnes cogitationes figere curamque in addiſcenda theologiae doctrina. Quoniam vero ingenio ſuo indulſit, meliorem vitae rationem forſan iniit, quam ſi patris paruiſſet voluntati, quod ex iis,

quae dicturi ſumus, melius poterit intelligi.

Natus autem eſt *Hildburghuſi*, quae urbs in regione Franconica ſita, die XVIII. Decembr. cIↃIↃCCXXII. patre *Laurentio Reinhardo*, Theologiae doctore, qui et fatis et fama celebris fuit, et *Buttſtedii*, quod paruum oppidum eſt in Thuringia, prouinciam antiſtitis ſacrorum tandem ſuſtinuit, vbi a. LII. huius ſaeculi diem obiit ſupremum. Poſtquam doctoribus gymnaſii ab *Erneſto Friderico* I. Hildburghuſi fundati, mortuo hoc principe, miſſio data erat, hoc fato accidit, vt pater, cui idem contigerat, Vinariam cum ſuis abiret.

Noſter igitur hic in Gymnaſio, moderantibus patre, qui litteras docuit, *Kieſewetero*, *Carpouio*, *Zollmanno*, *Schuſtero*, *Schroenio*, *Scanauino* et *Tholozanio* humanitatem et linguam Franco-Gallicam didicit. His litteris inſtructus atque lectionibus academicis audiendis idoneus Ienam ſe contulit anno XXXVIIII. et auctores ducesque ſtudiorum delegit, *I. G. Walchium*, *Hallbauerum*, *Buderum*, *Reuſchium*, *Tympium*, *Hambergerum*, *Darieſium*, *Reckenbergium*, *Pfeifferum*, *Huthium*, quos duo Erlangae collegas poſtea nactus eſt, *Greiffenhahnium* aliosque. Anno nondum decimo octauo aetatis expleto, diligentiae ingeniique teſtimonia edidit. Nam quum ſubſidium litterarium Linkerianum impetraſſet, in memo-

riam b. de Linker et diei, quo confeſſio auguſtana tradita eſt, binas orationes habuit, easdemque typis exſcribendas curauit:

Alteram *de auctoritate magiſtratus ciuilis per auguſtanam confeſſion. reſtituta.* a. cIɔIɔccxxxx.

Alteram *de Caroli erga confeſſionem auguſt. meritis.* a. xxxxII.

Et hiſtoriam et litteras elegantiores in primis a noſtro amatas eſſe atque excultas, ſupra diximus. Quare ne ab illis diſtractus ad alia negotia auocaretur, vt ſocietatis Latinae fieret collega, optauit. Voti compos, non ſolum ſocius fuit diligens atque induſtrius, ſed etiam nomine eius, cuius ab epiſtolis per aliquod tempus erat, conſcripſit:

Diſſ. epiſtol. *de rude eiusque donatione.* a. xxxxIII.

Eodem anno quum non. Nouemb. academia Erlangenſis inauguraretur, et Erlangam noſter ſollemnitates viſurus veniret: conſiliis amicorum commotus honores doctoris academici ambiuit: quos adeptus ſcholas aperuit et philologicas et hiſtoricas. Non multo poſt an. xxxxv, quod proceribus probata fuit diligentia atque dexteritas, Profeſſor philoſophiae extra ordinem creatus eſt. An. LII. autem munus ordinarium antiquitatum accepit. Qua facundia et ſuauitate oris, qua ſolertia, quo veritatis amore res geſtas enarrare et monimenta veterum explicare

care ſoleat, qua fide atque humanitate ſit et erga ciues academicos et erga peregrinos, nos ipſi, qui duo annos eius recitationes audiuimus, dulci grataque repetimus memoria; qua vero diligentia et reipublicae litterariae ſeruire cupiat, magna librorum copia, quos edidit, ſatis teſtatur. Neque vero ſolum in hiſtoria et bonis artibus omne tempus ſtudiumque collocare, illasque auditoribus tradere ſolet; ſed omnes quoque diſciplinas, quae iſtas ornant illuſtrantue, numariam, diplomaticam, heraldicam, geographicam et tractat et docet. Amoenitate vrbis et amore academiae captus munera in aliis academiis ipſi oblata ſemper recuſauit. Quare princeps Sereniſſimus fide *Reinhardi* perſpecta, (nam quantum vtilitatis atque ornamenti academiae adferat, iam diu antea cognouerat) ei poſt obitum *Chladenii* anno LVIIII. prouinciam profeſſoris eloquentiae atque poeſeos ei dedit. Variae vero ſocietates litterariae eum in collegia ſua cooptarunt. Libros nunc inter tot academicas occupationes et tot litteras exarandas tam ad Germanos quam ad exteros Erlangae conſcriptos indicabimus.

I. Libri.

Einleitung zu den weltlichen Geſchichten der vornehmſten Staaten. Erlangen, 1746. 4. recuſ. Ienae, 1761.

Vollſtändige Wappenkunſt. Nürnberg, 1747. 8.

Einleitung zu den Geſchichten der Teutſchen. Erlangen, 1747. recuſ. 1759. 4.

Einleitung zu den Geſchichten der chriſtlichen Kirche. Erlangen, 1749. 4.

Entwurf einer Geſchichte des chur- und fürſtl. Hauſes Brandenburg. Erlangen, 1750. 8. edit. altera. 1763.

Entwurf einer Hiſtorie des chur- und fürſtl. Hauſes Sachſen. Erlangen. 1750. 8.

Einleitung zu den Kirchengeſchichten des alten Bundes. Erlangen, 1751. 4.

Entwurf einer Hiſtorie des Erzhauſes Oeſterreich. Erlangen, 1752. 8.

Ueberſetzung der geheimen Geſchichte des Procopii von Cäſarea mit hiſtoriſchen Anmerkungen. Erlangen, 1752, 8.

Entwurf einer Hiſtorie des Hauſes Heſſen. Erlangen, 1753. 8.

Einleitung zur Staatswiſſenſchaft der vornehmſten Reiche und Republicken in Europa und Africa. Erlangen, 1755. 8.

Beyträge zur Hiſtorie Frankenlandes und der angränzenden Gegenden. Bayreuth P. I. 1760. P. II. 1761. P. III. 1762. 8. Plura volumina ſequentur.

Sammlung ſeltner Schriften, welche die Hiſtorie Frankenlandes und der angrän-

gränzenden Gegenden erläutern. P. I. Coburg, 1763. 8.

II.

Proluſiones academicae atque orationes.

Diſſ. *de ſodalibus ac ſacrificiis ambarualibus*, Erlangae, a. cIɔIɔCCXXXXIIII.

Progr. *de ſupplicum ſignis apud veteres.* Erl. eod. anno.

Progr. *de hiſtoriae litterariae natura.* Erl. an. XXXXV.

Diſſ. *de ſigno Fortunae in cubiculis veterum imperatorum, eiusque transmiſſione.* Erl. anno XXXXVI.

Progr. *de Ecberto Anticaeſare.* rec. Erl. LII.

Progr. *de ſtatu prouinciarum Germaniae Slauicarum poſt obitum Ludouici Germanici.* Erl. LIIII.

Progr. *de Caroli Craſſi abdicatione.* Erl. a. LV.

Oratio *de Sereniſſ. gentis Brandenburgicae erga archiducalem domum Auſtriacam meritis.* Erl. anno LV.

Progr. *de litterarum in Franconia initiis.* Erl. a. LVIIII.

Progr. *de Marte Olloudio et Milichio.* Erl. eod. anno.

Panegyricus Sereniſſ. Friderico, Marggrauio Brandenburgo - Culmbacenſi, quum d. XVII. Maii,

Maii, a. cIɔIɔccLX. *annum XXVI. regiminis ſui ingrederetur, dictus.* Erl. a. LX.

Progr. *de diſciplinae academicae, cum ea, quae apud primos Chriſtian. fuit conuenientia.* Erl. LX.

Progr. *de incrementis litterarum in Luſitania.* Erl. a. LX.

Progr. *de ritu Romanorum natalem imperii Principum ſuorum celebrandi.* eod. an.

Progr. *de priſcis Burgundionum in Franconia ſedibus.* Erl. eod. an.

Progr. *in obitum Caſp. Iac. Huthii, Theol. D. et P. P.* O. Erl. a. LX.

Progr. *in obitum Io. Frider. Weiſſmanni, Med. P. P.* O. Erl. eod. an.

Progr. *quo fabula de ſocietate poetica tempore Frid. I. imper. in Germania inita, refutatur.* Erl. eod. an.

Progr. *de Cenſore Romano, ſummi magiſtratus academici exemplari.* Erl. a. LXI.

Progr. *de diis veterum Perſarum regalibus ad Iuſtini libr. XI. cap. XV.* Erl. a. LXI.

Oratio *de iis, quae ſacrorum in Franconia emendationem faciliorem reddiderunt.* Erl. eod. an.

Progr. *in obitum Dorotheae Auguſtae Margarethae de Windheim, natalibus Moshemiae.* Erl. an. LXI.

Progr. *de antiquiſſimis Franconiae incolis.* Erl. eod. an.

Progr. *de ſapientia Aegyptiorum ſymbolica in exprimendo indice ſancto integroque ad* Ho-

Horapollinis hieroglyph. II, 118. Erlangen. cIↄIↄccLXI.

Progr. *quo litterarum in Hiſpania incrementa recenſentur.* Erl. a. LXII.

Progr. *de hiſtoria Franconiae acrius colenda.* Erl. an. LXII.

Progr. *in obitum Godofr. Mich. Pfundelii, acad. Syndici.* Erl. eod. an.

Progr. *de Minerua Medica ad Curt. III, 7.* Erl. eod. an.

Progr. *de ritu philoſoph. Pythagoric. in templis docendi ad Philoſtrati vitam Apollon. Tyanenſis Libr. I. c. 16.* Erl. an. LXII.

Progr. *de variis modis, quibus veteres Chriſtiani pietatem ſuam erga defunctos imperatores declararunt.* an. LXIII.

Orat. panegyrica, piis manibus Diui Friderici, Marggraui Brandenburg. rel. auctoritate publica conſecrata. eod. an.

Progr. I. II. *de Erlangae origine.* Erl. a. LXIII.

In libro, Erlangiſche Abhandlungen und Anzeigen *inſcripto* multae proluſiones a noſtro conſcriptae reperiuntur.

In Abhandlungen.

Abhandlung von dem wahren und falſchen Urſprunge der Herolds-Figuren. P. I. pag. 49. ſqq.

Abhandlung von der Staatsverfaſſung der Römer unter den Königen. (P. II, p. 58.).

In

In Anzeigen.

Abhandlung vom Urſprung der Schildhalter. (a. 1746. pag. 113).

Abbildung einer pragmatiſchen Kirchenhiſtorie. (ibid. pag. 189).

Hiſtoriſche Nachricht von dem Verfaſſer der alten teutſchen Ueberſetzung des Romans, welchen P. Pius II. geſchrieben. (a. 1750. pag. 217).

Unterſuchung der Frage, ob man die Zerſtöhrung der Stadt Carthago als den Hauptgrund des nachmaligen Verderbens von Rom anſehen könne. (ibid. pag. 221).

Politiſche Betrachtung des Bezeigens der gegen den König Carl *VIII.* in Frankreich verbundenen Fürſten bey ſeinem Abzuge aus Italien. (ibid. pag. 225).

Abhandlung von der wahren Todesart des letzten Herzogs von Oeſterreich bambergiſchen Stammes. (a. 1752. pag. 241).

Anmerkung von dem hochgräflichen caſtelliſchen Wappen. (ibid. pag. 247).

Plena hiſtoria Cypri, ad quam conficiendam multa atque inedita ex Italia accepit, quae prelo ſubiiciatur, parata eſt. Omnem nunc diligentiam tempusque ponit in conficiendis *commentariis de rebus Franciae orientalis*, et *inuentario diplomatico hiſtoriae Franconicae* ad exempl. *Schöttgenii* inuent. dipl. Sax. ſuperioris.

GEOR-

GEORGIVS CHRISTIANVS GEBAVER. D.

Magnae Britanniae Regi, Duci Electori Brunſuico-Luneburgico, a conſiliis Iuſtitiae intimis, Antecеſſor iuris in Georgia Auguſta Primicerius, ordinis iuridici Ordinarius.

Immortales viros *Hottomannum*, *Budaeum*, *Cuiacium*, *Merillium* aliosque imitatus cum iurisprudentia ſtudium non ſolum hiſtoriae et antiquitatis patriae, ſed etiam antiquitatis, hiſtoriae iurisque Romanorum bene coniunxit ill. *Gebauerus*, *qui quum animo excelſo*, vt ait auctor Pinacothecae, *ingenioque diuino ſuffultus cum admirabili felicitate atque fertilitate ad legum ſcientiam eſſet progreſſus; et inexpugnabilem induſtriam iunxiſſet, ille tandem euaſit, quem Cuiaciani nominis gloriae liceat opponere, noſtroque ſaeculo elapſorum in hac eruditionis parte celebritatem rite vindicare.* Quare inter philologos quoque aetatis noſtrae haud vltimum obtinet locum. Patriam autem habet Sileſiam, terram multorum laude clariſſimorum virorum fertilem, vbi *Vratislauiae* anno XC. praeteriti ſaeculi d. XXVI. Octobris primam lucem adſpexit. Pater fuit M. *Georgius Gebauer*, gymnaſii Eliſabethani, quod in illa vrbe floret, Profeſſor extra ordinem, et primus collega: mater autem *Vrſula*, germana ſoror *Danielis Schneideri*, viri multis ſcriptis celebris,

bris, et, dum viueret, praeſulis ſacrorum apud Erbacenſes. *Gebauerus*, in quo iam adoleſcentulo praeclarae ingenii virtutes eluxerunt, in gymnaſio patrio, non ſolum *Pohlium, Cranzium, Hankium, Wernerum, Neumannum,* ſed patrem quoque ipſum, qui formandorum animorum artem et dexteritatem docte nouerat, nactus eſt praeceptores. Mors tamen praematura optimum patrem et praeſtantiſſimum doctorem noſtro, annos XIIII. nato, eripuit, qui triſtis quidem caſus animum non fregit, ſed magis erexit. Praeter ea Magdalenaei gymnaſii magiſtros habuit, qui priuata eum opera erudirent, *Chriſtianum Gryphium, Io. Erdmann Dasbitzium* et *Chriſtian. Sticſium.* Poſt viuam praeceptorum vocem, quum e libris omnem paene hauriamus doctrinam atque eruditionem, noſter amore librorum, quem a patre iure veluti haereditario ſe accepiſſe profitetur, horas a ſcholis publicis vacuas collocabat in bibliothecis, quarum tres Vratislauiae vtilitati publicae ita ſunt dedicatae, vt ſingulis diebus profeſtis vna bonis mentibus pateret. Quare ſaepe in Neapolitanam, poſtumam *Zachariae Rampuſchii* viri conſularis, et ſcholarum praeſidis liberalitate conditam, excurrebat; aliquando Magdalenaeam inuiſebat; ſaepiſſime autem in Eliſabethana, *Thomae Rhedigeri* nomine inſignita, et eximio nummorum veterum Graecorum Romanorumque adparatu,

codi-

codicum manuſcriptorum copia aliisque ornamentis inſtructa verſabatur.

In patrio autem ludo litteris operam nauauit vsque ad annum decimum huius ſaeculi, quo Lipſiam litterarum cauſſa abiit, atque *Menzium* in omni philoſophia, *Boernerum* in Graecis litteris, *Ortlobium* in Hebraicis addiſcendis duces habuit. Quos et alios quamquam ſedulo audiuit, ad maturam tamen et diligentem ſcriptorum optimorum lectionem in primis aduertit animum. Hac opera litteris data ſummorum virorum ſibi conciliauit amorem, praeſertim *Gottfridi Graeuii*, Conſulis Lipſienſis, *Io. Georgii Graeuii* fratris, qui filium natu maximum curae noſtri atque inſtitutioni credidit. Hic quum *Gebaueri* virtutes atque ingenium cognoſceret, calcar illi addidit parato ſtipendio Rideliano. Ob hoc beneficium in ſe collatum in auditorio philoſophico ex teſtamento bis declamauit.

Anno duodecimo huius ſaeculi Iuris ſcientiae ſe tradidit, contubernali et ſtudiorum ſocio aſſumto ab *Henrico Gottliebio Tizenhofero*, ſenatore poſtea apud Vratislauienſes. Non Lipſiae ſolum cum eo *Gebauerus* iurisprudentiae ſtudio ſe dedit, ſed anno quoque ſequenti Altorfi, quo *Tizenhoferum* comitatus eſt, in ſcholis *Hildebrandi*, *Fichtneri*, *Rinkii*, et *Hoffmanni*, omnem fere iuris ſcientiam percepit, atque diſputatione ſub praeſidio *Rinkii* an.

XIIII. habita *de aqua calda occaſione legis et gemmae*, quos progreſſus in litteris fecerit, liquido oſtendit. Eodem anno Halam, quae *Chriſtiano Thomaſio*, et *Nicolao Hieron. Gundlingio*, quos etiam doctores habuit, aliisque profeſſoribus tunc prae caeteris academiis ſplenduit, ſe contulit. Illi quoniam puriſſimos iurisprudentiae fontes, hiſtoriam atque antiquitatem, auditoribus ſuis aperuerunt, quid mirum, *Gebauerum* ex illis auide hauſiſſe, vt ſitim litterarum reſtingueret? Mature igitur ingreſſus eſt viam, quae ad veram iurisprudentiae eruditionem laudemque perennem duceret: nec annis adultus eam canere naeniam debuit, quam *Muretus*, aliis tamen de illo, vt ipſe in oratione quadam fatetur, magnifice ſentientibus; aegre ferens, in manus ſuas ſero veniſſe quaedam *Budaei* et *Alciati* et aliorum eiusdem notae hominum ſcripta, quae numquam ante illud tempus adſpexiſſet: quae quum euoluere coepiſſet, paſſimque in iis multa reperiret, quae de magiſtris numquam audiſſet; multas ſententias, quas illi ratas ac firmas eſſe docuiſſent, grauiſſimis argumentis conuulſas ac labefactatas, multa ex Graecis ſcriptoribus depromta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus tenebrae ipſi fuiſſent; ſe viſum ſibi eſſe de coelo decidiſſe, aut in alium quemdam orbem delatum; ſeque pudore ſuffuſum, non negat, vt homines ingenui ſolent, ad Graecarum litterarum et diſcipli-

ſciplinarum magiſtros contuliſſe, eademque opera perluſtraſſe vetus illud Latium, ſedulo vndecumque omnia colligentem, quibus ſibi iurisprudentia inſtructior et ornatior fieri videretur. *Gebauerus* vero, florente iuuentute, cum illis optimis magiſtris familiaritatem contraxit, eoque notiorem atque illuſtriorem ſibi reddidit legum interpretandarum ſcientiam.

Quare multorum, qui magna erant auctoritate, amorem fauoremque ſibi denuo conciliauit. *Graeuio* enim fuiſſe iucundum, iam ſupra docuimus. Atqui eum prae reliquis idoneum cenſuit, qui filii natu maximi, academiae candidati, ſtudia regeret. Reuocatus Lipſiam ea, quae in ſcholis *Barthii*, *Hilligeri*, Scabinorum Lipſienſium, *Olearii* et *Rechenbergeri* audiret, repetendo in maiorem eius vſum conuertere iuſſus eſt. Nec vero euentus ſpem fefellit. Helmſtadii enim ille, acceptis ſummis in iurisprudentia honoribus, ſpecimen eruditionis *Gebaueri* ſui rite ſuſceptae ediderat, et poſtea illuſtri Senatorum in vrbe Lipſienſi collegio adſcriptus eſt, praematuris tamen fatis interceptus. Hoc vero pacto *Gebauerus*, quum in familia Graeuiana commode honeſteque viueret, atque elegantiſſimae doctrinae copiam ſibi collegiſſet, conſilium cepit vitae academicae eligendae. Ideo anno decimo ſeptimo huius ſaeculi ſummos in philoſophia honores nactus aliis litteras docendo praeire coepit.

Nouam vero felicitatem ex hac re conſequutus eſt. Adeo enim commendata fuit eius induſtria atque eruditio *Andreae Strelizio*, eccleſiae cathedralis S. Gangolfi apud Magdeburgenſes Canonico, vt hunc ſibi potiſſimum ſtudiorum ſuorum ducem comitemque deligeret. Hic vero, quam probata ſibi fuerit *Gebaueri* fides, non ſolum, dum adhuc vixit, grato animo agnouit, ſed etiam morti vicinus, ſcripto in itinere codicillo, noſtrum, huius rei plane inſcium, legato inſigni dotauit; cuius etiam *Gebauerus* poſt eius mortem particeps factus eſt. Eodem anno in collegium anthologicum, quod laudabile inſtitutum ſocietates litterarias medio ſaeculo elapſo imitari coeperat, cooptatus eſt. Quanto is fuerit ornamento huic ſocietati, ex diſputationibus anthologicis, in quibus mira eſt rerum litterariarum medii aeui et elegantioris litteraturae notitia, cognoſci poteſt. Iurisprudentiam tamen non neglexit, quamuis per illud tempus in augenda ornandaque antiquitatis et hiſtoriae litterarum diſciplina maxime verſaretur. Quare a. XXI. ordinem iuridicum in academia Vitebergenſi adiit, vt vires experiretur, pro facultate cauſſarum in foro agendarum conſequenda; Lipſiae vero, vt locum inter philoſophos obtineret, bis diſputauit: Erfordiae denique, editis ſpeciminibus, in iure vtroque ſummos adeptus eſt honores. Ab eo tempore Lipſia *Gebauerum* ſibi vindicare ſtuduit.

duit. Quare a. XXIIII. illi, prouincia iuris communis feudalis et Saxonici demandata, locus inter profeſſores ordinarios aſſignabatur. Anno autem ſequenti, quum de rebus ad academiam ſpectantibus Rex delegatos praeſide *Bunauio* diſpicere iuſſiſſet, *Gebauerus* his conſultationibus interfuit. A. XXVI. inter aſſeſſores curiae ſupremae et prouincialis Lipſienſis receptus eſt. Inſequens annus nouam adtulit felicitatem, quo adſcriptus eſt collegio B. Virginis. Neque tamen hi honores effecerunt, vt, quod quidem haud raro accidit, deſidiae ſe daret, ſed potius impulſus eſt, vt cum maiori diligentia hiſtoriam legesque doceret, atque, edendis illuſtrandisque aliorum, qui in laude fuerunt, ſcriptis, tam famae ſuae, quam reipublicae litterariae magis inſeruiret. Iuuenes igitur quum ad fontes iurisprudentiae, hiſtoriam atque antiquitatem et Romanam et Graecam duceret, non tradidit iuris ſcientiam more multorum, qui eam ad panem lucrandum et docent et diſcunt. Horis enim antemeridianis more *Balduini* iuris ſcientiam profitebatur: poſtmeridianis autem hiſtoriam. Atque his ſcholis, huicque rationi laudabili respublica litteraria multos debet viros tam doctos quam vtiles.

Cel. *Gebauerus* cum et gratia procerum et laude ciuium bonorum floreret, neque ipſe neque alius quisquam de ſede mutanda cogitauit. Idcirco, quamquam ſplendida ſubinde

munera oblata fuerant, tamen, quominus Lipſiam relinqueret, magiſtratus ſummus Dresdenſis intercedendo ſemper impediuit. Tandem factum eſt, vt, Georgia Auguſta a rege Britanniae *Georgio* II. condita, ill. *Gebauerus* praemiis et honoribus inuitaretur, vt Gottingam veniret, ſuaque fama nouae huic academiae ſplendorem adderet et dignitatem. Conſentiente Rege Poloniae Gottingam profectus nouae ciuitati eruditorum vice Rectoris praeeſſe coepit. Primum quidem iuſſus erat ordinis iurisconſultorum ſecundus eſſe: poſtea tamen ex regia voluntate primum locum obtinuit. Litteris publicis acceptis, Profeſſores nouos, qui praeſentes erant, iurisiurandi fide regi obſtrinxit, ſenatum academicum ordinauit, nomina iuuenum in programmate publico inuitatorum, in album retulit, atque hunc diem, qui vltimus erat menſis Octobris a. XXXIIII. quo etiam memoria ſacrorum per Lutherum purgatorum recolebatur, et academiae et ſuo nomino, fecit glorioſum. Rex vero *Gebauerum*, in quo eam collocauerat fiduciam, non ſolum honore conſilii aulici ad maiora excitauit, ſed anno quoque XXXXVII. vertente ad compenſandos labores, titulo Conſiliarii intimi iuſtitiae ornauit. Etiamſi munus Commiſſarii ad ea obeunda, quae Prorectoris ſunt in hac academia, delegati a. XXXV. propter negotiorum moleſtias aliasque occupationes cederet

ret *Brunquellio*, qui vero non ita multo poſt diem obiit ſupremum, nulla tamen in re nec conſilio nec opera defuit nouae huic ciuitati eruditorum.

Die decimo-ſeptimo a. XXXVII. quum publica ſollemnia in academia hac inauguranda peragerentur, die altero ordinis ſui Decanus honores academicos diſtribuit XI. candidatis, quorum quinque ante inauguratam academiam ſummos in iurisprudentia honores priuatim adepti erant. Officio Decani adhuc ſexies, Prorectoris autem ſemel functus eſt a. XXXVIII, quem poſteriorem honorem, poſtea ſaepe oblatum, ſemper recuſauit. Poſt obitum denique *Brunquelli*, qui primus collegii, quod de iure reſpondet, vulgoque facultatem vocant, praeſes fuit itemque poſt *Reinhardi Wahlii*que fata perpetuam Ordinarii ſpartam iubente regimine ſibi imponi paſſus eſt.

Semper vero ill. *Gebauerus*, quem nec publica negotia, nec litterae ſeueriores, eaeque haud raro ſteriles, ab amore ſcriptorum et Latinorum et Graecorum inueterato vmquam auocarunt atque auulſerunt, his ad vtilitatem iurisprudentiae et hiſtoriae multum temporis impendit. Praeter ea antiquitatem patriae, vnicum *Tacitum* ſequutus, feliciter explicat eruitque, et in hiſtoria imperii aliorumque regnorum res ſumma caligine antea circumfuſas egregie illuſtrat. Luculenta ſunt teſtimo-

nia proluſiones academicae in Tacitum, Richardique imperatoris hiſtoria, quod praeclarum opus iam nomini dat immortalitatem. Sedulo quoque laborat, vt, a more vulgari plerorumque cauſſarum patronorum valde abhorrens, non modo leges recte intelligat, ſed eas quoque in aliorum vſum et ſalutem bene interpretetur, quod nemo conſequi poteſt, niſi legum fata, modum, rationem, earumque hiſtoriam diu multumque perſpexerit, tempora antiqua cum Iuſtiniani aetate comparauerit, origines inquiſiuerit iuris cum feodalis, tum maxime germanici, regna denique, quae hodie florent, ipſumque imperium Romano-Germanicum mente complexus ſit. Quae omnia dum fecit ill. *Gebauerus*, non eſt, quod miremur, eum ad ſummum honoris faſtigium perueniſſe.

Vir eſt inexhauſtae lectionis, quam indefeſſa ſibi comparauit diligentia. Seruat morem, quo *Melanchthonem* vſum fuiſſe accepimus, vt poſt ſolis occaſum eat cubitum, ſed prima luce ſurgat, totumque diem officiis humanitatis munerisque et potiſſimum litteris conſecret. Grauis ſenectute humanus tamen eſt, comis atque officioſus erga iuuenes, qui litterarum cauſſa eum adeunt. Religione erga Deum nulli cedit, patriamque amat. Laudis cupiditas, ardorque aliis ſeruiendi excitarunt eius ſtudium, vt tot variaque eruditione referta ederet ſcripta. Librorum ſupellex eſt ampliſ-

ampliſſima, quae praeſtantia et raritate inter priu torum bibliothecas habet pares admodum paucas; numero autem librorum antecellit multis, quae vel in academiis publico ſunt vſui dedicatae. Controuerſias habuit, quas vero, quia non ſatis cognitas habeo compertasque, omittere, quam incerta referre, malo. Cum vxore ſua *Ludouica Chriſtina*, *Arnoldi Reinhardi* collegae quondam ſui vidua, tranquillam placidamque adhuc agit vitam. Quamquam nullos habet liberos, qui illi ſuperſtites eſſe poſſint: idem tamen fere de ſe dicere poteſt, quod *Epaminondas Pelopidae* quondam reſpondiſſe fertur; ſe ex ſe natos partus ingenii relinquere, qui non modo futuri ſint ſibi ſuperſtites, ſed etiam immortales. De his igitur nunc agemus.

Diſſertat. academicae.

1. De *aqua calda occaſione legis et gemmae.* Altorf. a. CIↃIↃCCXIIII. praeſ. *Euchar. Gottl. Rinkio.*

2. De *M. Agrippa.* Lipſ. a. XVII. cum fig. aen.

3. De *Romulo*, *obſeruationibus varii generis illuſtrato.* ib. a. XVIII.

4. *Numa Pompilius obſeruationibus varii generis illuſtratus pro Loco in ordine Philoſophorum obtinendo.* Lipſ. a. XX.

5. *Tullius Hoſtilius obſeruationibus varii generis illuſtratus.* Lipſ. a. CIↃIↃCCXX.

6. *Iudithae Auguſtae Franciae Elogium hiſtoricum.* a. XXIII.

7. *De ſucceſſione inter ingenuos iure ſanguinis ab inteſtato ciuili.* Erford. a. XXIII.

Ad honores Doctoris obtinendos hanc conſcripſit diſſertationem.

8. *Problema iuris feudalis de iure reluendi per generalem conſenſum ſimultanee inueſtiti in alienationem Feudi extincto.* Lipſ. a. XXV.

9. Diſſ. *de eo, quod in iure dici poteſt vacuum.* ib. eod. anno.

10. Diſſ. *de actione tutelae aduerſus Magiſtratus.* ibid. an. XXVI.

11. Diſſ. *de imputatione facti alieni circa delicta.* ib. eod. anno.

12. Diſſ. *de iurisdictione.* ib. a. XXVIIII. Hanc Diſſ. ill. *Gebauerus* multis acceſſionibus auctam edidit, ita inſcriptam: *Commentatio academica; de iurisdictione, ſecundum doctrinam Romanorum, eiusdemque doctrinae in Germania vſu. Edit. ſecunda, multo auctior et emendatior.* Lipſ. a. XXXIII. 4.

13. Diſſ. *de originibus Feodi, qua vocem, qua rem, non externis, ſed Germanicis.* ib. a. XXXIII. Quam *Ienichenius* in Tomo I. theſauri feudalis cap. IIII, recudendam curauit.

14. Diſſ. *de matrimonio cum auunculi vidua.* Gotting. a. XXXVII.

15. De *iuſtitia et iure.* ibid. anno cIↃIↃCCXXXVIII.

16. De *Herſto cito ob inaequalitatem in melius reformando. Occaſ. L. III. C. Commun. vtr. iudic.* ib. a. XXXVIII.

17. *Titulus Digeſtorum, de optione vel electione legata, multifariam illuſtratus.* a. XXXXVII. Specimen eſt nouae editionis corporis iuris ciuilis quam ill. *Gebauerus* iam diu parat.

18. *Theſes iuridicae.* ib. a. XXXXVIII.

19. *Singularia de priuilegiis.* ibid. anno XXXXVIIII.

20. Diſſ. *de patria poteſtate.* ibid. a. L. v. ephemerid. litter. Gottingenſ. a. L. plag. 124.

21. Diſſ. *de eodem argumento.* a. LI. vid. easdem ephemer. a. LI. plag. 54.

22. Diſſ. *de iure Corporis Euangelici valde intercedendi mutationibus ſtatus anni decretorii.* ib. a. LII.

23. *De libertinitate et iudiciis capitalibus veterum Germanorum.* a. LX.

Proluſiones academicae.

1. *De Feudorum origine.* Lipſ. a. XXVII. Haec proluſio, qua inuitauit proceres ciuesque academiae Lipſienſis ad audiendam orationem profeſſionis Iuris Feodalis cauſa habendam recuſa eſt in Tom. I. Theſauri Iuris Feudalis Ienichiani cap. IIII.

2. De

2. De *comparatione togatae et ſagatae militiae.* Gotting. a. cIↃIↃCCXXXIIII. 4. Hac proluſione, quae in noua academia Gottingenſi primum fuit ſcriptum formis typothetarum publice expreſſum, nomine Prorectoris, cuius officium adminiſtrauit, quoniam erat a commiſſionibus, litterarum ſtudioſos inuitauit, vt nouae ciuitati litteratae nomen darent: atque recitationes ſuas inſtituendas indicauit. v. Summam in actis academicis ad an. 37. pag. 361. ſeqq.

3. De *origine teſtamentorum minime ex Iure Naturali repetenda.* ib. a. XXXVI.

4. De *indole connubiorum apud veteres Germanos.* ib. a. XXXVI.

5. De *vero Artic. V. §. 15. Pacis Weſtphalici ſenſu.* ibid. a. XXXVI.

6. *Explicatio L. 4. D. de Colleg. et Corpor. Opific.* ibid. a. XXXVII.

7. De *differentia inter Proconſules et Legatos Caeſaris.* eod. anno.

8. De *Ceremoniarum natura atque iure.* eod. an. In Inauguranda academia ſex ſummae in iurisprudentia dignitatis candidatos hac proluſione nominauit.

9. De *vita, fatis et ſcriptis Sigismundi L. B. ab Herberſtein et de eius Commentariis rerum Moſcouiticarum, variisque huius operis editionibus.* ib. a. XXXVIII. vid. Juriſtiſchen Bücherſaals Tom. II. pag. 378-381.

10. De

10. De *Seruii Sulpicii Ruſi definitione tutelae L. I. pr. de tutel. et §. I. inſtit. de tutelis.* ib. anno cIↃIↃCCXXXVIII.

11. De *extantioribus exemplis Principum, Comitum, Baronum ac Nobilium, qui gradu I. V. Doctoris ſe condecorari non dedignati ſunt.* ibid. a. XXXXI.

12. De *Germanorum matrimonio ad cap. XVII. Taciti de Mor. German.* eod. an.

13. De *alea et ſide ad Taciti de Morib. German. cap. XXIIII.* eod. an.

14. De *poena violati matrimonii ad Taciti de Morib. German. cap. XVIIII.* a. XXXXIII.

15. De *ſupplicio adulterarum ad Taciti de Mor. Germ. cap. XVIIII.* eod. anno.

16. De *regio apud Germanos nomine ad Taciti German. cap. VII.* ib. a. LIII.

Ab initio proluſ. *Gebauerus*, ſe, ſcribit, per decem iam annos nouae editioni Iuris ciuilis omne ſtudium diligentiamque tribuiſſe, eamque ob cauſſam. Decanatum, quem dicunt, ordinis ſui bis deprecatum eſſe.

17. De *regia apud Germanos poteſtate. Ad Taciti German. cap. VII.* ib. a. LIII.

18. De *regia apud Germanos ſucceſſione. Ad Taciti Germ. c. VII.* eod. an.

19. De *Comitiis veterum Germanorum. Ad Taciti German. cap. VII.* a. LIIII.

20. De *nobilitate veterum Germanorum. Ad Tac. German. cap. VII.* a. CIↃIↃCCLIIII.

21. De *iudiciis veterum Germanorum. Ad Taciti German. c. XII.* eod. an.

22. De *iure ſucceſſionum apud veteres Germanos. Ad Taciti German. c. XX.* eod. an.

23. De *comitatu principum Germanicorum. Ad Taciti German. c. XIII. et XIIII.*

24 De *patria poteſtate veterum Germanorum. Ad Taciti Germ. cap. XX. et XIII.* a. LV.

25. De *dominica poteſtate veterum Germanorum. Ad Taciti Germ. cap. XXV.* a. LVII.

26. De *re iudiciaria militari veterum Germanorum. Ad Taciti German. cap. VII, VI. et XIIII.* a. LX.

27. De *iudiciis non capitalibus.* a. LXIII. Si Deus vires corporis integras ad plures annos, quod optimus quisque optabit, ſeruauerit, hanc telam non ſolum pertexet vir illuſtris, ſed etiam, illo abſoluto, commentationes in *Tacitum* in vnum corpus redactas ſe editurum eſſe, ſpem mihi fecit.

Libri, quos vel ipſe conſcripſit vel obſeruationibus auctos atque ornatos edidit.

I. De *caldae et caldi apud veteres potu. Liber ſingularis.* Lipſ. a. XXI. 8vo. c. figg. aen. Hoc opuſculum ex diſputatione academica ſub

Rin-

Rinkio Altorſi a. cIↄIↄCCXIIII. habita, ſed ſecundis nunc curis expolita auctaque, eſt enatum. Conſtat octo capitibus: I. agit, de aqua nonnulla generatim. II. De Calda veterum. Calda et calida nude vſurpabantur apud veteres. Auguſtus calidum dicere quam caldum maluit, *non*, vt Quinctilianus inſtit. orat. L. I. cap. 9. ait, *quia illud non ſit latinum, ſed quia ſit odioſum, et vt ipſe graeco verbo ſignificauit*, περίεργον: quo in loco *Burmannus* in ſua editione *otioſum* legendum eſſe putat: ill. vero *Gebauerus* pro retinenda antiqua lectione praeter alia appellat Aldinam edit. a. MDXIIII. et codicem Ducis Saxo-Gothani. III. De Calda a *Mercuriali*, *Caſtalione* et *Baccio* impugnata. IIII. De Thermopolio. V. De caldariae antiquitatis reſiduis. Sunt Sarda Rinkiana, et tria vaſa fictilia, propter Moguntiam effoſſa, deinde vero a *Rinkio* prece et pretio expugnata, quorum maius videtur *Gebauero* eſſe Colyla; minora autem Cymbia. VI. De reliquo inſtrumento Thermopotico. VII. De Caldo: quod vinum erat, temperatum aqua calda, tam feruente affuſu vt ipſum vinum Caldum redderetur. VIII. De origine calidi potus. Refertur origo ad medicos, qui valetudinis tuendae cauſſa caldam commendarunt. Ex ſalutari praecepto luxuria nouas ſibi delicias confinxit, pari modo, vti recentiori aetate Theae potum, illumque ex fabis toſtis con-

confectum vbique fere inualuiſſe conſtat. Quod vero iſte mos medio aeuo plane in deſuetudinem abierit, ſe, coniectat ill. *Gebauerus*, Gothis et Longobardis et aliis Germanicis populis Romani imperii victoribus acceptum referre, quibus bellicis caloribus ambuſtis, ridiculum videbatur, ardenti aqua ora ſiticuloſa proluere, et qui ψυχροῖσι πίνειν malebant, quam affuſa calda generoſa falerna corrumpere.

II. *Notae et Paratitla e iure iudiciario nouiſſimo Electorali Saxonico ad* Vlrici Huberi *praelectiones iuris ciuilis.* Lipſiae a. cIↄIↄcc x x v. 4.

Illuſtr. *Gebauerus* ſequutus eſt editionem Thomaſii a. huius ſaeculi VIII. additis obſeruationibus *Luder. Menkenii* et *Georg. Adolph. Schuberti.* Quam *Andr. Riuinus* parauit editionem a. x x x v, ea optima eſſe dicitur.

III. *Notae ad Ioannis Schilteri inſtitutiones iuris feudalis. Vna cum praefatione hiſtorico-critica, de conſtitutione Conradi II. de expeditione Romana.* Lipſ. a. x x v i i i. 8vo. Huius libri editio repetita eſt a. x x x v i i. et l i. Ob praefationem vero inter illuſtr. *Gebauerum* et Cancellarium academiae Halenſis *de Ludewig* poſthaec orta eſt controuerſia, de qua paullo inferius agemus.

IIII. *Hugonis Grotii Florum ſparſio ad ius Iuſtinianeum cum praefatione.* Halae, anno x x v i i i i. 8.

V. *Prae-*

V. *Praefatio ad Guſtaui Georgii Zeltneri hiſtoriam Crypto-Socianismi Altorfini arcanam.* Lipſ. a. cIↄIↄCCXXVIIII. 4.

Per varias ambages viuo adhuc *Zeltnero* in manus multorum venerat hic liber. *Gebauerus*, copia facta illius, edendi curam in ſe ſuſcepit.

VI. *Praefatio ad illuſtriſſimi Henrici, Comitis de Bunau Comment. de iure circa rem monetariam in Germania editionem alteram.* Lipſ. a. XXX. 4.

Obſeruationes et emendationes illuſtriſſ. auctoris hanc poſteriorem editionem prae priori valde commendant.

VII. Vorrede zu der neuen, und in vielen Stücken vermehrten und verbeſſerten Auflage des Lohenſteiniſchen Arminius. Lipſ. a. XXXI. 4.

VIII. Grundriß zu einer umſtändlichen Hiſtorie der vornehmſten Europäiſchen Reiche und Staaten. Mit einer Vorrede, von dem mannigfaltigen Nutzen der hiſtoriſchen Wiſſenſchaften, und nöthigen Regiſtern verſehen. a. XXXIII. 4. recuſ. a. XXXVIII. et auctius atque emendatius a. XXXXVIIII.

IX. *Gothofredi Barthii, ICti, Diſſertationes iuridicas collegit, notulisque illuſtrauit, et de B. viri vita ſcriptisque praefatus eſt.* Lipſiae et Gorlicii, a. XXXIII. 4.

X. *Anthologicarum Diſſertationum liber cum nonnullis adoptiuis, et breui Gelliani et Anthologici collegiorum Lipſienſium, hiſtoria.* Lipſiae a. CIↃIↃCCXXXIII. 8.

Ex praefatione excerpemus, quae multis lectoribus haud iniucunda fore arbitramur. Tres ſocietates eruditae Lipſiam ornarunt praeterito ſaeculo: primum *Societas conferentium*, quam anno MDCLXIIII. *Fridericus Geislerus*, *Daniel Mullerus, Ioannes Cyprianus, Fridericus Nitſchius*, et *Gothofredus Guilielmus Leibnitzius*, lumen poſtea reipubl. litterariae ſplendidiſſimum, auſpicati ſunt. Alterum erat *Collegium Gellianum*, quod a. MDCXXXXI. prima dominica Aduentus, quem diem etiam collegae quotannis feſtum habuere, conditum eſt, et nomen ex cap. II. libr. XVIII. *Gellii* noctium Atticarum traxit. Auctores fuerunt *Rappoltus*, *Theophil. Colerus*, *Chriſtian. Ziegenhornius*, *Vngebauerus*, *Knauthius*, *Sam. Langius*, *Samuel Auenarius* et *Caſp. Zieglerus:* quorum et eorum qui poſtea cooptabantur, vitae breuiter diſcribuntur. Deſiit autem anno MDCLXXIII. Tertium erat *Anthologicum*, nomine, non re diuerſum a Gelliano. Primi omnium a. MDCLV. M. *Iul. Wolfgang. Ouvv*, M. *Ioan. Hrabſkius*, M. *Steger*, *Eberhardus Mullerus*, Collegii Witteb. philoſ. Adiunctus, fuerunt: Quibus non ita multo poſt adceſſere *Friſius*, *Sam. Puffendoerfer*, vir poſtea fama

ma nominis atque gloria maxime conſpicuus, M. Ioan. Lyſerus, famoſus ille Polygamiae patronus, qui opinioni futili tam pertinaciter adhaeſit, vt nulla munerum (coetus enim ſacri Portenſis erat antiſtes et reliquorum inſpector,) bonorum, domicilii, famae iactura, nullis vitae miſeriis aerumnisque, exul aeternum et ſaepe de vita periclitatus ab ea ſe abſtrahi paſſus, voce ſcriptisque, dum vixit, cauſſam dogmatis temere quidem ſed conſtanter tamen ſuſciperet. Circa a. LXXIII. praeteriti ſaeculi defloruiſſe videtur collegium hoc anthologicum. Opera tamen M. *Chriſt. Krumbholzii*, fatis ſuis celebris, refloreſcere coepit. A. LXXXV. d. 2. Aug. Viri, qui ſcriptis immortalitatem conſequuti ſunt, *Io. Burcard. Menken*, *Abicht*, *Io. Gottlob Carpzouius*, *Chriſtian Gottl. Schwarzius*, *Boernerus*, *Io. Iac. Maſcouius* aliique hanc ſocietatem, a. XI. huius ſaeculi interruptam, egregie ornarunt. Reſtituerunt tamen a. XV. *D. Boerner*, *Menzius*, et *Maſcouius*. quibus poſtea acceſſerunt *Liebe*, *Henricus de Bunau*, heros immortalis aliique An. XXXIII. Socii erant, viri eruditione celebres, *Chriſtian. Frid. Boerner*, *Georg. Chriſt. Gebauer*, *Io. Zach. Platnerus*, *Frider. Menzius*, *Georg. Frid. Richter*, *Ioa. Erhard Kappius*, qui vltimi huius collegii fuerunt Sodales. Praefationem excipiunt diſſertationes, quarum haec ſeries eſt I. Diſſertatio anthologica. I. de Hyſtrice

Ludovici XII. regis Galliarum et Wagenſeilianis Symbolis. II. *Magni Danielis Omeiſii* exercitatio academica de Symbolo heroico, Italis, Impreſſa, Gallis, Deviſe, annotationibus *Gebaueri* locupletior. III. Diſſ. anthologica II. ad locum Sex. Aurelii Propertii libro II. Eleg. VII. verſ. 19.

Et Dominum talit moerens captiua cruentum

Appoſitum fluuiis *in Simoenta vadis.*

vbi ill. *Gebauerus fuluis* legere mauult. IIII. Diſſert. anthologica III. de antiquo verbo *Fuo.* V. Diſſert. antholog. IIII. de innumera ſobole Germanica vocis primigeniae *Fee.* VI. Diſſ. anthol. V. Pro rhythmis ſeu ὁμοιοτελέυτοις poeticis aduerſus ea, quae in Huetianis leguntur. VII. *Eliae Maioris* de verſibus Leoninis commentatio, praefatione de vita ſcriptisque Eliae Maioris filiorumque Eliae et Ioannis Danielis auctior. VIII. *Renatus Moreau* de verſibus Leoninis, notulis nonnullis adſperſis. VIIII. Mantiſſa non anthologica de aliis Fidiculis poeſi iniectis. X. Diſſertatio anthol. VI. de praeceptis ſymbolicis theſauri ad capita quaedam reuocatis, et de Symbolo quodam anthologico.

XI. *Promulſis de 400 annorum vſu, ob quem ill. Dn. a Ludewig Clericos in Feuda ſuccedere non poſſe opinatur.* Gotting. a. XXXV. 4.

Illuſtr.

Illuſtr. *Gebauerus* in praefat. ad *Schilteri* ius feudale contendit, atque euicit, diploma imperatoris *Conradi* II. de expeditione Romana eſſe genuinum. De *Ludewig* in Hälliſchen Intelligenzzettel a. XXXIIII von der Urkunde des teutſchen Römerszugs *Caroli* a. 790. contrarium ſtatuit. Huic vero quidam, ſublato nomine, reſpondit, in niederſächſiſchen Nachrichten a. XXXV. pag. 65, ſq. et ita inſcripſit: Das Abendtheuer des Hälliſchen Intelligenzzettels. *Ludevicio* ſe defendenti, idem auctor incognitus reſpondit Fortſetzung des abendtheuerlichen Hälliſchen Intelligenzzettels. Ill. vero Gebauerus ſuam ipſius ſententiam tuiturus contra Ludewigii Diſſ. Halae a. XXI. habitam *de Clerico exule ſucceſſionis in Feuda et Principatus S. R. I.* edidit *promulſidem* memoratam. Cauſſam vero Ludewigii ill. Rosmann, qui Erlangae munere Profeſſoris nunc fungitur, ſuſcepit, Halae a. XXXVI in *promulſide ſublata Georg. Chriſt. Gebaueri, ICti, pro Clericis contra obſeruantiam imperialem ab exilio reductis ad capeſſenda Feuda ſecularia et ſuccedendum in S. R. I. Principatus.* 4.

XII. *Praefatio etymologica, de agnatorum et cognatorum nominibus germanicis,* Schwerdmagen et Spillmagen. *Praemiſſa Io. Andr. Haneſenii lucubrationibus ſelectioribus circa doctrinam de computatione graduum.* Gott. a. XXXVI. 4.

XIII. Leben und denkwürdige Thaten Herrn Richards, erwählten römiſchen Kayſers, Grafens von Cornwall und Poitu in dreyen Büchern beſchrieben. Leipz. a. cIↄIↄccxxxxIIII. med. 4. mit Kupfern. Res, non ſtilum, omnibus, hiſtoriae intelligentibus, maxime probari iudicant auctores ephemerid. litter. Berolin.

XIV. *Ordo inſtitutionum Iuſtinianearum breuibus poſitionibus comprehenſus, et in vſum auditorii vulgatus. Accedunt* Prolegomena *hiſtoriam Inſtitutionum adumbrantia, et in earumdem librum I. excurſus ſex.* Gottingae, a. LII. 8. mai.

Prolegomena enarrant hiſtoriam Inſtitutionum. In excurſibus VI. loca in Inſtitutionibus explicantur: In primo excurſu; paragrapho 8. de I. N. G. et Ciu.; in ſecundo; §. 3. de libertinis; in tertio; §. 7. I. qui et ex quibus cauſſis manumitt. poſſ.; in quarto; §. fin. I. de nuptiis; in quinto; §. VII. I. de fiduciaria tutela; et in ſexto; §. 16. I. de excuſ. tut. et curat. lux accenditur. v. ephemer. erudit. Gotting. a. LIII. pl. 2.

Portugiſiſche Geſchichte, oder Erläuterungen des erſten Capitels ſeines bekannten Grundriſſes zu einer umſtändlichen Hiſtorie der vornehmſten europäiſchen Reiche und Staaten. Leipz. a. LVIIII.

Ora-

Orationes.

I. De *feudalis iurisprudentiae laudibus.* Lipſiae a. cIↄIↄccxxvii. *Ienichen* ſeruauit illam ab interitu atque obliuione in theſauro iuris feudalis Tom. I. cap. IIII. nr. I.

II. De *laudibus aduocatorum.* Gottingae a. xxxvi.

III. De *legitimo honoris et virtutis connubio.* ib. eod. an. Binae orationes ſunt ſimul typis excuſae.

Varia.

I. Commentatio *de marmore Iſiaco.* In actis eruditorum a. xx. pag. 365.

II. Obſeruat. *De Plinii loco in hiſtor. Natural. Libr. III. cap. 16.* In parergis Gottingenſibus L. II. Obſ. 3. pag. 71-101.

III. *Carmen in ipſis Vniuerſitatis Georgiae Auguſtae Sacris Inauguralibus ſummorum in Iure bonorum ſex viris Conſultiſſimis tribuendorum cauſſa an. XXXVII. d. 18 Septembr. publice recitatum.* Gotting. a. xxxvii. 4.

Eſt carmen heroicum, obſeruationibus ad inaugurationem academiae pertinentibus magis exornatum. Ineſt in collectione Actorum publicorum et ſollemnitatum pag. 28. quae de noua academia Georgia Auguſta a Gesnero publicabantur.

Praeterea in Actis eruditorum et latinis et germanicis, in Bücherſaal der gelehrten Welt, et Hiſtorie der Gelehrſamkeit circa an. XX. et XXI. multos libros recenſuit. Promiſit quoque vir illuſtris cum orbe litterario communicare: *Vitas ICtorum celeberrimorum*, et nouam editionem *Corporis iuris ciuilis*, quae in magna eſt exſpectatione; quae tamen viuo ill. *Gebauero*, dubito an lucem adſpiciat. Corpus illud omnibus aliis editionibus palmam praeripiet, quoniam *Gebauerus* non ſolum in adornanda hac editione a multo tempore omnem curam diligentiamque poſuit, ſed etiam Schedas Brencmanianas, et in his collationes corporis illius cum manuſcripto Florentino a *Brencmanno* et *Saluino* inſtitutas ex ſectione Bynkershoekiana ſibi comparauit. De edendo hoc opere egregium librum conſcripſit, cuius tantum titulus typis exſcriptus eſt, huius ſententiae:

Georgii Chriſtiani Gebaueri Iuris Conſulti et in vniuerſitate Georgia Auguſta Anteceſſoris primicerii, narratio de Henrico Brenkmanno, de MSS. Brenkmannianis, de ſuis in corpore iuris ciuilis Romani curatius edendo conatibus, conſiliis et laboribus. Acceſſit mantiſſa de rariſſimo libro bibliotheca Antonii Auguſtini, archiepiſcopi Tarraconenſis, nec non Henrici Newtoni vita. Gottingae, a. LXII.

G. C.

G. C. Gebaueri epiſtola gratulatoria de Iubilaeo ad V. C. C. B. Stieffium. In. Sammlung der Jubelſchriften, welche bey der Feyer des zweyhundertjährigen Andenken der Stiftung und Einweihung des Eliſabethaniſchen Gymnaſii zu Breslau am 29. Tage des Jänners im Jahr 1762. von Lehrenden und Lernenden, theils vorgetragen, theils verfertiget, auch anderwerts zugeſchickt worden. Bresl. a. LXII.

Multa ex hoc epiſtola decerpſimus, quae ad vitam *Gebaueri* pertinent ſcholaſticam.

IOANNES AVGVSTVS BACHIVS

Philoſophiae et Iuris vtriusque Doctor, Profeſſor antiquitatum iurisprudentiae extraordinarius in academia Lipſienſi, et iudicii eccleſiaſtici Aſſeſſor.

Expoſituris nobis de vita *Bachi* deplorare lubet noſtrorum temporum calamitatem, quibus perpaucos via illa tot magnorum virorum veſtigiis ſignata ad veri ICti nomen contendere videmus. Reuocat enim nobis nomen et memoria elegantiſſimi huius ICti in animum illa omni poſteritati ſacra et cara nomina *Cuiacii*, *Alciati*, *Budaei*, *P. Fabri*, *Briſſonii*, *Gothofredorum*, *Pithoeorum*, *Rittershuſii* alio-

rumque, qui adcurata Graecarum et Latinarum litterarum, hiſtoriae, antiquitatis omnisque liberalis doctrinae cognitione inſtructi ad explicandam tradendamque iurisſcientiam adceſſerunt. Quorum ſi multos ſimiles haberet haec aetas, gratulari profecto poſſemus et ipſi iurisprudentiae, tot ſordibus a profanis hominibus commaculatae, et humanitatis litteris. Eſt enim tanta harum coniunctio, vt altera alterius auxilio carere nequeat, et vtraque amice conſpirare debeat, niſi alterutra multis ornamentis et praeſidiis deſtitui velit. Nunc vero multos animaduertimus turpi lucelli cupiditate corruptos neque curantes quidquam praeter illud, quod πρὸς τ' ἄλφιτα, illotis manibus ſacra iuris monimenta tractare, atque hiſtoriam, grammaticam et artem criticam non contemnere tantum, ſed irridere eos etiam, qui Muſarum comitatu ſtipati Themidis templum ingrediantur. Plurimum etiam hoc nomine Germania debet *Erneſtio*, qui et ipſe elegantiſſima copioſiſſimaque iuris Romani ſcientia inſtructus eſt, et ſemper iuuenibus auctor fuit, vt antiquitates et hiſtoriam iuris addiſcerent, atque interpretationem grammaticam legum et voce et ſcriptis diligenter iisdem commendauit. Inde etiam prodierunt e viri doctiſſimi diſciplina non pauci, quos vtrum ad iurisprudentiae, an ad humaniorum litterarum ornamenta referremus, ſaepiuscule dubitauimus.

Inter

Inter hos eminet *Bachius*, in quo fuit tanta Graecarum et Latinarum litterarum ſcientia, tanta iuris ciuilis cognitio, vt praematura illius morte celeberrima academia Lipſienſis multum amiſiſſe videretur. Atque hoc quidem luculenter adparet ex praeſtantiſſimis, quae edidit, ſcriptis, et quorum nos hic indicem exhibebimus.

Primus illius ingenii foetus fuit diſſertatio *de Myſteriis eleuſinis*. Lipſ. a. cIↄIↄccxxxxv. 4. in qua multis argumentis, ſummo cum acumine prolatis, id egit, vt infamiae maculam illis a multis ſcriptoribus, Patribus in primis, vt aiunt, eccleſiaſticis adſperſam detergeret. Hanc diſſertationem excepit.

Diuus Traianus, ſiue de legibus Traiani commentarius. a. xxxxvii. 8.

Qui liber quanta eruditionis copia effloreſcat, nihil adtinet multis dicere. Adcuratam praeſertim hiſtoriae et temporum cognitionem omnibus, qui hac de re iudicare poſſunt, ſatis probauit. quae magis etiam ex

Hiſtoria iurisprudentiae Romanae. a. LIIII. 8. adparet. Sollerter in hac tradenda ea vitia euitauit, quae *Heineccius* ſaepiuſcule commiſit; multa adcuratius explicuit: optimos de quaque re ſcriptores diligenter laudauit; aptius et doctius, quam omnes fere reliqui e Graecis et Latinis ſcriptoribus loca claſſica adtulit; quum in aliis libris leges iurispublici Romani

mani plerumque ſint neglectae, de ſtatu autem publico nec multi nec hi ſemper optime expoſuerint, haec duo in primis ſpectauit, et cum emendauit, tum enarrauit copioſius et adcuratius; denique multis in locis, quam bene ius Graecorum cognitum haberet, oſtendit. De hoc etiam illum ſingulare opus meditatum eſſe audiuimus; ad quod concinnandum prae aliis nobis idoneus fuiſſe videtur. Diligenter enim Graecos ſcriptores legerat atque contriuerat. Quod ſi quis cognoſcere cupiat, euoluat a noſtro editum

Xenophontis Oeconomicum, a. XXXXVIIII. 8.

in quo omnes boni critici et interpretis numeros impleuit. Atque dolendum eſt, illum morte impeditum non plura *Xenophontis* opuſcula edere potuiſſe. *Bachii* enim docta et elegans breuitas in explicandis ſcriptoribus nobis certe magis probatur aliorum ſiue moleſta et ieiuna loquacitate, ſiue infelici ſterilitate. Praeter ea etiam edidit

Briſſonium de formulis, a. LIIII. Fol.

Quem laborem certe nouimus, illum magis vt bibliopolae morem gereret, quam vt ipſe eo delectaretur, ſuſcepiſſe, atque fortaſſe eamdem ob cauſſam

Bergeri oeconomiam iuris. a. LV. 4.

Diſ-

Diſſertationes ab eo ſcriptae ſunt fere hae:

De praeſcriptione centum annorum in actionibus eccleſiae Romanae de iure ciuili. anno CIↃIↃCCLII.

De iure transactionis ſuper controuerſiis ex teſtamento, non inſpectis vltimis tabulis. a. LII.

De iure praediatorio. eod. an.

Progr. aditiale, *de edicto perpetuo prouinciali.* eod. an.

De lege Iulia Miſcella. a. LIII.

De cauſſis coniunctis, earumque foro competente. a. LIIII.

De iure accreſcendi. eod. an.

De lege Anaſtaſiana. a. LV.

De multa poenitentiali in emtione venditione. a. LVI.

De prorogatione iurisdictionis. eod an.

De his, quae imputantur in quartam fiduciariam ad L. XCI. D. ad legem Falcidiam. a. LV.

Laudare ſingulas diſſertationes non opus eſt. Neque enim fieri poteſt, quin, qui eas legat, laudet ingenium et doctrinam *Bachii.* Denique bene de iurisprudentia meritus eſt, editis

Commentariis criticis de libris ad iurisprudentiam pertinentibus. Voll. VI. 8. (in lingua vernacula). In his commentariis de nouis, qui tum editi ſunt, libris docte diſputat, eorum argumenta recenſet, atque, quid ſibi de quo-

quoque videatur, libere indicat. Meminimus etiam, illum aliquoties doctas animaduerſiones de variis iuris partibus adſpergere, et quorumdam errores bene refutare, quosdam etiam pungere aliquantum, id quod prae aliis bonus *Wieſenhauerus* expertus eſt, cuius tamen cenſurae non *Bachium*, mitiſſimum virum, ſed alium quemdam auctorem fuiſſe nouimus. Si quis hos commentarios ad vulgares illas ephemerides referre velit, nae iſte magnam auctori iniuriam adferet.

Haec ſunt ſcripta viri elegantiſſimi, quibus complura additurus erat, niſi longius illum rebus humanis intereſſe acerbitas fati noluiſſet. Nunc de vita illius, quantum compertum habemus, memoriae prodemus. Etſi enim nullis ſingularibus caſibus illa emineat, dignus tamen eſt *Bachius*, cuius natales, honores, et mors ad poſteros etiam perferantur.

Natus fuit anno huius ſaeculi viceſimo primo in pago *Hohndorpio* prope Luccam ſito, patre *Ioanne*, ſacerdote pagi. Primis elementis litterarum a patre acceptis, duodecim annos natus mittitur Lipſiam ad ſcholam Thomanam, cui tum *Geſnerus* ſumma cum laude praefuit. Magiſtris quidem tum vſus eſt *Dreſigio* viro erudito, de cuius vita et miſerabili mortis genere forte alio tempore dicemus, *Crugelio*, *Winclero* et *Erneſtio*, qui perſpecto iuuenis ingenio, modeſtia, pudore, illum valde amare

coepit.

coepit. Quaecunque certe filius a patre exſpectare poteſt, amorem, conſilia, liberalitatem, beneficia, ea noſter ab *Erneſtio* accepit. Et praeſtitit ille etiam huic eam pietatem, quam benigno parenti, fideli magiſtro, et candido amico debuit. Meminimus audire, *Bachium* non ſolum de *Erneſtio* ſemper honorifice loquutum, ſed virum, alioquin placidum, ſtatim commotum fuiſſe et elatum, quoties quemquam praeclaras illius virtutes non ſatis cognoſcere ſentiret. Habuit in hac ſchola oratiunculas quasdam, in quibus, qualis quantusque olim foret, viri docti non leui ducti augurio intellexerunt. Quam ſpem auxit carmine Graeco et Latino de laude Typographiae, quod cum aliis de hac re ſcriptis editum fuit. Ita inſtitutus a. CIϽIϽCCXXXXI. ciuibus academicis nomen dedit. Audiuit vero *Chriſtium* veteres poetas; *Ioecherum* Hiſtoriam; *Menzium* Phyſicam et *Baermannum* Matheſin docentes. Praeter ea *Erneſtio* ſuo, philoſophiam, hiſtoriam, et, qua excellit, bene dicendi ſcribendique artem tradenti, diligenter operam dedit.

Quis vero plurimorum ICtorum putaſſet, *Bachium*, hos viros adeuntem, ſe iuris ſcientiae dediſſe? Quot potius illum ſcholaſticae ſe vitae parare crediciſſent? Sed *Bachio*. alius animus fuit. Ingenio enim hac ratione polito atque

que multarum et pulcerrimarum rerum ſcientia animo repleto, tum demum iuris doctores adiit; ſequutus in primis *Maſcouios* fratres, *F. A. Hommelium, Bauerum, Cramerum, Feuſtelium.* Maxime noſtro profuit amicitia *Ritteri*, viri noſtra laude maioris, qui illi in regia ad iuris ſcientiam via dux fuit praeſtantiſſimus. Hauſit ab hoc inprimis bonorum librorum cognitionem et optimam hiſtoriae iurisprudentiae addiſcendae rationem. Poſtea anno XXXXXV. tulit primum diligentiae praemium, honores philoſophiae magiſtri. Tum ſui copiam fecit iuuentuti atque cum veteres auctores interpretatus eſt, tum antiquitates, eloquentiam, hiſtoriam et Inſtitutionum, quem vocant, textum explicuit. Anno quinquageſimo dignitate doctoris iuris et Profeſſoris antiquitatum iuris ornatus fuit, cui acceſſit a. LIII. munus Aſſeſſoris in ſenatu eccleſiaſtico Lipſienſis, maioris forte honoris quam fructus munus. His quidem ita functus fuit, vt cuiuis bono ſuam doctrinam, aſſiduitatem, integritatemque probaret, omnesque, vt quam diutiſſime ornaret Lipſiam, optarent. Sed noluerunt fata rebus eum humanis diutius intereſſe. Praematura morte die ſexto Decembris anni LVI. duo de quadraginta annos natus exſtinctus eſt. Corporis enim vires vigiliis praelectionibusque, quae ei multae ob anguſtiam rei familiaris, atque vt haberet, vnde ſuorum, quos vehementer amauit,

amauit, paupertatem ſuſtentaret, fuerunt habendae, nimis fractae erant et attritae.

Fuerunt, vt pauca addamus, multae in *Bachio* litterae, et admirabilis Graecae et Latinae linguae, antiquitatis atque hiſtoriae ſcientia: eloquentiam coluit maximopere, atque latino elegantique ſcribendi et dicendi genere vſus eſt: attigit etiam poeticen, et elegias quasdam ſcripſit non inuenuſtas. Quod vero ad illam, quam profeſſus eſt, ſcientiam adtinet, omnes eius partes bene tenuit. Non ſolum enim iuris ciuilis, et quibus hoc nequit carere praeſidiis, hiſtoriae et criticae magnum in noſtro fuit ſtudium, ſed bene etiam hanc eruditionem ad vſum fori transtulit. In hiſtoria eccleſiaſtica atque iure canonico addiſcendo multum ſtudii poſuit, atque hoc in ſcholis magna cum laude interpretatus eſt. Iuris publici imperii maior in noſtro ſuit intelligentia, quam fortaſſe aliquis putet. Animaduertiſſe hoc, audiuimus, *Rechenbergium* in examine noſtro, pro obtinenda doctoris dignitate, ſubeundo, atque vltro illi munus in academia quadam iuris publici docendi obtuliſſe; recuſaſſe vero *Bachium* conditionem, neque ſe doctrinae magiſtrum profiteri voluiſſe, cuius non omnes partes ita cognitas haberet, vt numquam haereret. Fuit enim in eo mira modeſtia: numquam magnifice de ſe locutus eſt, numquam, vt fit, de ſua doctrina multa verba fecit. Comparaſſes

illum riuo ſine omni ſtrepitu profluenti. Vixit ſemper frugaliter, mediocritate rerum ſuarum contentus: pius fuit erga Deum, candidus amicus et ſuauis, probus et bonus ciuis, ſuorum amantiſſimus, quibus plurima e vix modicis opibus, quas ei fortuna conceſſit, (et erat tamen adeo meliori conditione dignus, vt nos hoc ſcribentes cum dolore conditionem illius recordemur,) largitus eſt.

IOAN. ANDREAS MICHAEL NAGEL

Profeſſor publicus ordinarius linguarum Orientalium, Metaphyſices atque Eloquentiae, et bibliothecae publicae praefectus in academia Altorſina. Academiae Caeſar. Scient. Roberetanae Collega.

Vitam enarrabimus viri, in quo ineſt antiqua fides, ſumma comitas, atque modeſtia, animique integritas, quas, raras quidem, virtutes inſignis peritia litterarum orientalium ornat, praeſertim rabbinicarum. Germanus eſt *Schwarzii* diſcipulus, dignusque hoc praeceptore in munere ſucceſſor. Etiamſi ille *Nagelium* cognitione antiquitatis, hiſtoriae, atque humanitatis ſuperauerit: hic tamen illum philoſophiae fama longe poſt ſe relinquit, vt nihil de litteris dicam, quae ab oriente nomen habent.

bent. Natus vero eſt *Sulzbaci* an. huius ſaeculi decimo patre *Ioanne* qui arte canendi aliis praeiuit primum *Sulzbaci*, deinde *Noribergae*, quo filium adhuc puerum ſecum deduxit, collega ſcholae quae vocatur *Laurentiana*, eamdem quoque artem profeſſus eſt. Erudiuit adoleſcentulum cum iis artibus, quibus ſtuduit ipſe, tum in primis ſui imitatione: adiutus poſtea in eadem ſchola ab aliis praeceptoribus, quibus noſter vſus eſt, *Mullero*, *Freundeno*, *Wiedmanno*, *Kalbardo* et *Hagedornio*. Primum quidem mercaturae operam dare conſtituerat ſecum *Nagelius*; ſed, hortante ſuadenteque *Wetzelio*, qui ingenium eius docile probe perſpexerat, conſilio hoc abiecto, litteris totum ſe conſecrauit.

Atque hac in ſchola, eaque aetate in litteris et Graecis et Latinis magnos fecit progreſſus, quum praeſertim *Io. Martin. Schmidtius*, Diaconus ad aedem b. virginis Noribergenſem non ſolum inſtillaret eius animo amorem harum litterarum praecipue orientalium, ſed etiam his eum per aliquot annos erudiendum ſuſciperet. Ad lectiones dein publicas in gymnaſio admiſſus, *Mörlium* ſuper orbis deſcriptione et philoſophia morum; *Doppelmeyerum* ſuper aſtronomia differentes audiuit; *Negelinum* vero, vt linguas, Latinam et Graecam, perdiſceret.

Ad ſcholas doctorum academicorum obeundas ſatis idoneus atque praeparatus Altorfium Noricorum, quod ab initio viros litteris claros tulit aluitue, a. XXXI. profectus eſt, rectore D. *Iantkenio* in numerum ciuium academicorum relatus. Viros hic inuenit multos, qui cum fama nominis florerent, tum ſatietati diſcendi occurrerent. Interfuit autem acroaſibus *Kelſchii* philoſophicis ac mathematicis; dialecticis inſpectoris *Gollingii*; *Feuerlini* philoſophicis et litterariis, *Bernholdi* graecis et theologicis; atque arabicis *Schulzii*, qui vero non ita multo poſt Halam euocatus eſt. Praeterea audiuit *Baierum* in cognoſcenda naturae hiſtoria; *Koeblerum* in orbis deſcriptione, hiſtoriaque litterarum atque imperii Romani. Praecipue autem *Schwarzium*, qui eum impenſe amauit carumque habuit, ſiue ius naturae interpretaretur; ſiue antiquitatem Romanam; ſiue artem orandi verſuumque conficiendorum doceret; ſiue auctores, quos vocant claſſicos, reliquasque litteras liberaliores explicaret, per integrum quinquennium eſt ſectatus: quo etiam praeſide a. XXXIIII *Spicilegium nouum animaduerſionum ad panegyricum Plinii* defendit. Anno vero ſuperiore diſputando ſuper canon. apoſtolicis moderante D. *Bernholdo* priuatim vires iam ſaepe exercuit.

Poſtquam a. XXXV. dignitatem magiſtri academici nactus eſt, ventilata iterum ſub *Schwar-*

Schwarzio ſuo diſputatione de *Faſtorum Romanorum formula poſt conſulatum*, vt et exterorum cognoſceret mores, et aliorum doctrina litterarum peritiam amplificaret, Lipſiam ſe contulit captus nomine vrbis atque auctoritate; ibique auditor fuit *Gottſchedii* in eloquentia atque poeſi Germanorum; *Pfeifferi* in aſceticis et *Clodii* in arte codicis ſacri recte interpretandi. Atque ego, non in vna academia haerere, ne et huius vitiorum ſis admirator, ſed, ſi fieri poſſit, aliam quoque adire, multum intereſſe arbitror, multumque iuuare ad excolendas animi vires, ad exuenda vitia popularia, ad pernoſcendos hominum animos, ad vitamque communem. Cel. autem *Nagelius* Lipſiae ex conſuetudine cum doctiſſimis, viris, praeſertim, *Maſcouio*, *Kappio*, *Erneſtioque*, quibus fuit iucundus, non minorem cepit fructum, quam ex bibliothecis, quas et Lipſia multas habet, et ille ſaepius conſuluit. Eius igitur diligentiae debemus, poteſtate a *Maſcouio* impetrata, deſcriptionem rari *Geographiae Ptolomaei* exempli manu exarati, cum notis *Henr. Stephani* ineditis, cuius recenſus a *Georgio Martin. Raidelio*, praecone verbi diuini apud Noribergenſes, in *commentatione critico-litteraria de Claudii Ptolomaei geographia eiusque codicibus* pag. 17. ſeqq. exhibetur.

Ad vires animi reuocandas atque recreandas conuentibus muſicis apud *Bacchium*, cuius

 nomen

nomen hac in arte celebre eſt, ſaepius interfuit; quam occaſionem eo magis ſibi commodam eſſe putauit, quod frater Maximilianus, qui hac arte excelluit, morte autem matura Onoldi e vita ereptus eſt, hunc coetum ornauit. Sic *Nagelius* doctiſſimus Lipſiae dulci miſcuit vtile et vitam egit iucundam, neque tamen otioſam. At vero, opinione citius Lipſiam relinquere cogebatur, patre an. XXXVI. fatis intercepto. Antea vero quam Altorfium rediit, Halam et Wittebergam profectus eſt, vt tum res videret notatu dignas, tum viros doctiſſimos ad augendam et ornandam eruditionem conueniret.

Redux, ſpecimine edito, ſcholas coepit aperire. Neque vero diligentiae praemia, quae ſummos labores compenſant atque mitigant, diu erant exſpectanda. Nam poſt abitum *Io. Vlrici Treſenreutheri' Coburgum*, vbi prouincia Prodirectoris in gymnaſio illi demandata erat, *Nagelius* a. XXXVII. menſe Auguſto Inſpector alumnorum atque oeconomiae; et poſt biennium profeſſor primae philoſophiae atque linguarum orientalium dictus eſt. Prioris autem muneris ſucceſſorem habuit *M. Nicolaum Schwebelium*, qui nunc rector eſt et profeſſor gymnaſii Noribergenſis, virum in litteris elegantioribus exercitatum. Id vero munus, quod adhuc ſuſtinet, oratione de *auctoritate Talmudis Hieroſolymitani apud Iudaeos recen-*

recentiores auſpicatus eſt doctiſſimus *Nagelius.* Suis autem officiis quo magis vacaret, nec cura rei familiaris auocaretur a litteris an. XXXXVII. *Mariam Magdalenam*, *Io. Auguſti Riedereri*, Noribergae foro mercatorio praefecti, filiam in matrimonium duxit, e qua decem liberos, quorum vero quinque iam mortui ſunt, procreauit. Demandatis illi a. LII. muneribus praefecti bibliothecae publicae, eloquentiae atque concinnandarum publicarum proluſionum, curatores, ſe iacturam, quam obitu *Schwarzii* fecerat academia Altorfina, reparaturos eſſe arbitrabantur.

Faſces academicos bis geſſit, quos, quum primum obtineret, *Io. Conrad Feuerlinus* in diſſertatione epiſtolica de *Hadriani imperatoris eruditione* ei eſt gratulatus. Ordinis philoſophorum quum decanus tertium eſſet, quod officium quinquies iam adminiſtrauit, Comitem celſiſſimum *a Koenigsegg*, quod quidem noſtra aetate mirum eſt exemplum, Baccalaureum creauit philoſophiae. Artium denique ſocietas Roboretana a. LVIII, cognito atque perſpecto viri doctiſſimi philologiae inſigni ſtudio, eum collegam ſuum eſſe iuſſit.

Hactenus de vita noſtri; nunc libros, quos edidit recenſebimus.

Specimen academicum de modo diſputandi, quo doctiores Iudaei quondam Noribergae in

 exer-

exercendis atque acuendis ſuis diſcipulis vſi ſunt. a. cIↄIↄccxxxvii.

R Moſes ben Daniel huius generis diſputandi apud Noribergenſes et Ratisbonenſes iudaeos vſitati et quod בלא זות vocatum erat, in libro סוגיות התלמוד mentionem iniecit. *Bashuyſen*, qui hunc librum cum aliis Hannouiae a. XIIII. huius ſaeculi typis excudendum curauit, in addendis ad clau. talmud. max. negat, hoc in libro, quae auctor de hac diſputandi ratione in libri fronte promiſerit, deprehendi. *Nagelius* ſedulus huius libri lector in hoc ſpecimine *R. Moſen* a crimine *Bashuyſen* defendere ſtudet. Ita autem diſputatum erat, vt ad duorum quaeſtiones vnus reſponderet, in quo Iudaei conſuetudinem diſputandi, quae in Gemara obſeruatur, ſequuti ſunt. Hic mos, quia vel a Iudaeis Noribergae commoratis, in ſcholas primum introductus erat, vel apud illos maxime inualuerat, nomen Noribergenſis obtinuit. Id tamen diſputandi genus, quoniam Ratisbonenſes aut eadem ratione ſe exercuerunt, aut Noribergenſes imitari voluerunt, Ratisbonenſe erat quoque nuncupatum. Noribergenſes vero Iudaei iis, qui Ratisbonae docuerunt, in illo praeſtitiſſe videbantur, quoniam loca quaedam in Gemara difficiliora Noribergenſia ſaepius dicuntur, numquam vero Ratisbonenſia.

Diſp.

Diſputatio *de lingua Aramaea.* anno cIↃIↃCCXXXVIIII.

Diſp. *de argumentatione* κατ᾽ ἄνθρωπον. eod. anno.

Generaliores coniugationum aramaearum characteres grammaticae Danzianae adcommodati. Altorf. a. XXXXVII. 8. recuſ. ib. an. LVIII.

Diſſ. *de gradatione adſcendente in quatuor ſummis principiis, metaphyſicis, quibus animus cultior in quaeſtionibus contradictoriis diſcernendis vtitur.* a. XXXX.

Proluſio ad orationem audiendam inauguralem *de Caino ipſo vultu perditos mores ſuos prodente.* a. XXXX. 4.

Diſſ. *de lingua adſcita hominum orbis Babylonici ad illuſtr. Eſr. IIII, 18.* eod. anno.

Linguam Aramaeam in terris Babylonicis, licet vocabulis Chaldaeis diſtinctam atque mixtam in vſu fuiſſe, auct. cel. euincit.

Obſeruationes in verſ. I. cap. I. Geneſeos. a. XXXXI.

De lite litterarum א et ב a Iudaeis ficta, (quia ב in hiſtoria creati mundi locum tenet principem, א vero littera contemtus opinione incenſa ad Deum tamquam ad iudicem cauſſam detulit) de ſententia Dei hac de re relata a Iudaeis excogitata, aliisque horum figmentis agit, ſuamque proponit ſententiam vir doctiſſimus.

Diſp. philoſoph. *Soriten neque eſſe neque recte dici ſyllogismum.* a. CIↃIↃCCXXXXII.

Obſſ. in verſ. 2. *cap. I. Geneſ.* eod. anno.

Progr. *ad funus Catharinae Margareth. Schwarziae.* eod. an. in form. max.

Diſſ. *de ludis ſaecularibus veterum Romanorum in Gemara Babylonica commemoratis.* a. XXXXIII.

Diſſ. *de primi Alcorani Sura.* eod. anno.

Diſſ. *de cognitione philoſophica, tamquam via ad hominis felicitatem*, pars prior auctore et reſp. *Io. Paullo Schwaben* a. XXXXV.

Diſput *de cultu Deorum ex ὀνοματοθεσίᾳ illuſtri*, auct. et reſp. *Erhard Andr Fromann*, qui munere directoris gymnaſii academici Coburgenſis nunc fungitur.

De ſtudio philoſophiae Graecae inter Arabes. recuſ. in fragmentis hiſtoriae philoſophiae editis a *Chriſtian Erneſt. a Windheim.* Erl. a. LIII. 8.

Diſſ. *de generibus inferioribus ac ſuperioribus.* a. XXXXV.

Diſp. *de ordine naturali propoſitionum ſyllogismorum primae ſigurae.* a. XXXXVI.

Diſſ. *de calendario veterum Ebraeorum.* eod. anno.

Progr. *ad funus Iulianae Dorotheae Kirſteniae.* a. XXXXVIII.

Diſſ. *de tribus codicibus manuſcriptis ebraicis.* a. XXXXVIIII.

Diſſ.

Diſſ. *de iis, quae de myſteriis in theologia naturali poſſunt tradi.*

Diſp. *de locis quibusdam Iobi, in quibus cel. Schultenſius maiorem lucem deſiderauit.* a. LI.

Diſſ. *de proſelytis tractis.* a. LI.

Pfeifferi critica ſacra. a. LI. 8.

Hunc librum multis obſeruationibus auctum curauit cel. N. recudendum.

Progr. *ad funus Chriſt. Gottl. Schwarzii,* P. P. an. LI. Fol.

Progr. *ad funus Io. Conr. Bittneri.* a. LI. 4.

Progr. *ad funus Annae Margareth. Beckiae.* eod. anno.

Progr. *ad funus Helen. Sibyllae Mullerae.*

Diſſ. *de contractu quodam iudaico emtionis et venditionis.* a. LVIIII.

Progr. *loca quaedam Cenſorini emendans* ad orat. *Gottf. Seidelii* de animi morbis eorumque remediis. eod. an. 4.

Progr. *ad funus Barb. Sab. Krauſſiae.* a. LIIII.

Progr. *ad fun. Io. Gottl. Neubaueri.* a. LV.

Progr. *ad fun. Appolloniae Spieſiae.* eod. a.

Progr. *ad fun. Chriſt. Andr. Ziegleri.* eod. a.

Diſp. *de vſu loquendi.* eod. a.

Diſp. *de ſtilo Moſis.*

Diſp. *de culpa vxoris Lothi ad Geneſ. XVIIII,* 26. auct. et reſp. *Iod. Guil. Regenfus.* eod. an.

Diſp. *continens iuris naturae Chriſtianorum,* auct. reſp. *Ge. Chriſtoph. Schwarzio.* a. LVI.

Diſp.

Diſp. *in verſ. 24. cap. XXXXVIIII. Geneſ.* an. CIƆIƆCCLVI.

Progr. *ad funus Georg. Dan. Bauneri.* eod. a.

Progr. *ad funus Io. Georg. Boehneri.* e. a. 4.

Progr. *ad funus Hieron. de Moll.* eod. a. Fol.

Progr. *ad funus I. P. Kraneckeri.* eod. an. 4.

Diſp. *philolog. ſpicilegium vitae Eliae Leuitae germani cum particula libri eius Maſoreth Hammaſoreth complectens.* a. LVII.

Diſp. philol. *de diebus Aegyptiacis.* eod. an.

Pr. *ad fun. Ge. Frid. Deinlini,* D. et P. P. e. a.

Progr. ad orationem encomiaſticam, *in quo codex manuſcriptus Gualteri de Caſtellione recenſetur.* a. LVII. 4.

Diſſ. *quatenus Amoſi II. com. XI. Naſiraei potuerint accenſeri beneficiis diuinis,* auct. reſp. *Phil. Albert. Chriſtfels.* a. LVII. *Chriſtfelſius* id quod ex nomine poteſt facile intelligi, religione Iudaeorum abdicata, Chriſtianorum coetui nomen dederat.

Progr. *ad orationem panegyricam glorioſae memoriae Sereniſſimi principis Caroli Guilielmi Frider. Marggrafii Brandenb. Onoldini.* e. a. Fol.

Chriſtian Gottl. Schwarzii obſeruationes ad Nieuporti compendium antiqq. Romanarum cum praefat. Io. Andr. Mich. Nagelii. Alt. a. LVII. 8.

Schwarzius quum adhuc in viuis eſſet, in Nieuportii compendium crebras ſolitus erat recitationes inſtituere, et auctori, vbi opus erat, maius lumen adferre, eumque emendare.

Schwar-

Schwarzii igitur obſeruationes e tenebris in lucem reuocauit *Nagelius*. Illius autem viri diligentia non in illuſtrando tantum atque emendando auctore acquieuit, ſed etiam, vbi auctorum veterum teſtimonia deerant, ea addidit; praeterea quaedam adiunxit ſuplementa, et ad ſingulas materias aliquot ſcripta, in quibus illae vberius pertractantur, recenſuit. Hinc breui introductione, quae ab initio libelli legitur et de partibus, ſubſidiis &c. antiquitatum Romanarum agit, ac tribus capitibus intercalaribus, primo de origine vrbis Romae, eiusque incrementis; altero de diuiſione populi Romani in nobiles, nouos homines et ignobiles; et tertio de ſtudiis et re litteraria veterum Romanorum; item appendice ſect. ſec. de imperatore, eiusque quibusdam titulis, vt b. auctor auditoribus frequentibus dictare conſueuerat, ornatus et locupletatus eſt *Nieupoortius*. Reliqua forſan ingenii *Schwarziani* monimenta partim inedita partim typis quidem exſcripta, ſed diſperſa raraque, in nonnulla volumina coacta, ab induſtrio *Nagelio* accipiemus. Equidem me ab ipſo viro humaniſſimo audire memini, ſe, quando poſt has tempeſtates meliora redierint tempora, differtt. Schwarzianas in N. T. recudendas curaturum eſſe. Vehementer optandum eſt, vt votis multorum atque exſpectationi reſpondeat, rebus imperii nunc tranquillis.

Progr.

Progr. *ad funus Io. Mich. Zellii.* anno cIↄIↄCCLVIII. Fol.

Chriſtian. Gottlieb. Schwarzii compendium inſtitutionum oratoriarum cum praefat. I. A. Mich. Nagelii. Altorf. eod. a. 8.

Exercitatio philol. *in verſ. XVI. cap. 20. Geneſ.* auct. reſp. *Wolf. Iac. Herold.* eod. a.

Diſſ. phil. *praefationem ſecundam eamque rythmicam libri Maſoreth Hammaſoreth Eliae Leuitae Germani continens.* eod. a. Continuauit an. ſequenti.

Progr. *ad fun. Caralottae Iulianae Bernboldiae.* a. LVIIII.

Diſſ. *de factis quibusdam Iacobi Patriarchae illuſtribus ſecundum ius naturae conſideratis,* auct. reſp. *Ge. Leonhard Klingero.* eod. an.

Diſp. *de emphaſium iudicandarum difficultate.* auct. reſp. *Io. Chriſtoph. Gottleber.* a. LXI.

Rab. Beniamin Tudelani itinera. a. LXII. 8. Nullam quidem adiecit verſionem, quam vero et obſeruationes ſuas pariter atque notatu digniſſimas *Matth. Frid. Beckii,* qui Vindelicorum Auguſtae praeco verbi diuini fuerat, adhuc ineditas ſe promittit cum orbe litterario communicaturum. cf. Altorfiſche Bibliothek der geſammten ſchönen Wiſſenſchaften I. Vol. I. Part. pag. 290.

Diſſ. philol. *de Pleiadibus poetarum Graecorum.* a. LXII.

In

In verſione obſeruationum Anglorum quorumdam ad illuſtrandam S. S. (opus vocant anglicum biblicum quod ven. *Dittelmayerus* D. et P. P. ſacrarum diſciplinarum in academia Altorfina poſt obitum *Telleri* curat) varias obſeruationes debemus *Nagelio* celeberrimo.

PETRVS BVRMANN

Iuris vtriusque Doctor, hiſtoriae, eloquentiae, linguae graecae, poeſeos Profeſſor publicus in illuſtri Athenaeo Amſtelaedamenſi, Praefectus bibliothecae publicae et latinarum ſcholarum Viſitator. *)

Conſtat inter omnes, hiſtoriae litterarum haud plane expertes, e gente Burmanniana, quae Germaniae vltimos debet natales **), fuiſſe

*) In deſcribenda huius vita ſequuti ſumus *Strodtmannum:* in *neuem gelehrten Europa* P. V. Lector autem comparando facile intelliget, quae a nobis profecta ſint. Multa, quae ad vitae et conſuetudinis rationem pertineant, partim ex libris aduerſariorum depromſimus, partim ex litteris, ex quibus tamen, quoniam publici iuris non factae ſunt, multa intacta reliquimus, ne virum qui tamen non omni caret ingenio atque eruditione, et de litteris bene promereri laborat, laeſiſſe videremur.

**) Haec dum ſcribo, non ſatis mirari poſſum, noſtrum *Burmannum* patruum ſuum vt in omnibus

ſe qui et vitiis et virtutibus excellerent, qui fama quidem florerent eruditionis, ſed libidine etiam conuiciandi aliorum inuidiam odiumque ſibi contraherent. Quid *Petro Burmanno*, quem vt a noſtro diſtinguamus, *primum* adpellabimus, litterae humaniores debeant, quanto ille fuerit ingenio, quanta diligentia atque induſtria in emendandis et adornandis auctorum editionibus, alio tempore oſtendemus, vbi vero etiam videbimus, quo furore abreptus in illos irruerit, qui ab eo vel diſſentirent, vel in meſſem eius inferrent falcem. Ex hoc genere *Burmanniano* noſter quoque, qui tum libris tum lite

bus ita etiam in conuiciis imitaturum, patria ſua eiurata, Germanos odio Vatiniano proſequi, noſtram linguam pro ludibrio habere, plurimos Germanorum ſtuporis, inſcitiaeque arguere, (forſan ideo, quod de iure talionis cogitat) tanto ſupercilio queri de patria ſua ſaepe benigna nimis peregrinorum et aduenarum altrice, (quod quidem patriae ſuae tam vtile putare deberet quam honorificum, et cogitare, quae cl. *Saxius* in depulſione pag. 11. regeſſerit) et dolere, *qui ex peregrinis in batauas regiones deferantur, ſemper macilentum et famelicum examen eſſe*, vti cl. B. in Antiklotzio pag. 14. ſcripſit. Ad haec tamen iam reſpondit cl. *Saxius* in epiſtola ad *Burmannum* pag. 18. Perpendat vir doctiſſimus, ſummos viros, *I. Fr. Gronouium*, *Graeuium*, *Heineccium*, *Everh. Ottonem*, *Ruhnken*, *Weſſeling*, *Reitzios*, *Rukerum*, aliosque fuiſſe in Germania natos, et Germanos habere famae ſuae vindices antiquae.

lite ſua cum vv. cll. *Saxio* et *Klotzio* inclaruit ſuam deducit originem.

Natus vero eſt *Amſtelodami*, in ampliſſima vrbe et mercatura et litteris nobilitata, a. XIII. huius ſaeculi d. XIII. Octobr. patre *Franciſco* (quem *ſecundum* nominabimus. huius enim pater *primus* fuit, et *tertius* eſt noſtri frater in academia Traiectina profeſſor Theologiae). Ille autem *Franciſcus ſecundus*, cum noſtrum gigneret, Amſtelodami munus obiit miniſtri verbi diuini, poſtea vero Traiecti capeſſiuit prouinciam profeſſoris Theologiae. Patrem habuit noſter placidum, humanum, omnibus iucundum, atque eruditum. Poſt huius obitum diſciplinae curaeque patrui *Petri Burmanni*, qui Lugduni fuit, traditus eſt. Exemplum quod in litteris ſibi proponeret, fuit illuſtre. Atque *digniſſimi alumni diſciplinae* eius in *nouis actis eruditorum a.* XXXXXIIII. *pag. 101.* honorifico titulo nominatur. Et *Oſterdyk Schacht* in oratione funebri pag. 28. *et parentis*, inquit, *et patrui dotibus a natura inſtructus iam a puero tanta contentione litterarum ſtudiis inuigilauit, vt plerisque palmam praeripiens admodum adhuc iuuenis digniſſimus habitus ſit, cui Profeſſoris &c.* Doctiſſimus *Valkenaar* in praefat. ad Ammon. pag. 9, *noſtrum*, profitetur, *maiorum ſuorum famam digne tueri.* Atque tanto duce, tam docto tam erudito viro moderante non poterat, quin, niſi in eo omnes ani-

mi vires elanguiſſent, in graecis litteris et latinis profectus faceret. *Bartholomaeus Sieben* in carmine, ſubiuncto orationi funebri in Doruillium canit:

Burmannus Patruo non minor ille ſuo.

At noſter ſe ipſe patruo minorem ingenue profitetur. *Chriſtius* denique, in recenſu editionis *Lotichii* in nouis actis eruditorum *Burmanni* carmen ad *Lotichii* manes adpellat *poetici ſpiritus plenum et elegans.*

Enimuero, quamuis patruus tantam diligentiam curamque in illo erudiendo adhibuerit; quamuis viri illi doctiſſimi in noſtro laudando conſentiant; cel. tamen *Klotzius*, in epiſtola ad viros doctos in Germania, ingratum noſtri animum moresque atris depingit coloribus; vt taceam, quae in *Actis Erudit. Lipſ.* 1762. *menſ. Decembr.* de conuiciandi libidine dicuntur. Vt antea, quae honorifice de noſtro dicebantur, commemoraui, ſic, ne alterutri parti ſtudere videar, cl. *Klotzii* verba repetam. *Tantum vero abeſt*, inquit, *vt ille perditus ac profuſus nepos Patrui delicium fuerit, vt ſaepius hic de malis moribus, pigritia, et ſocordia illius queſtus ſit, neque chartas ſuas poſt mortem in iſtius manus fritillis et latrunculis adſuetas venire voluerit. Nam cum ex illo quidam quaererent, voluntatemque pro ſecundo noſtro explorarent, ad quem illas peruenire vellet, illum reſpondiſſe accepi, ſuum e fratre nepotem igna-*

ignauum eſſe, ipſum operam dare litteris debere, ſibique, quae adiumento eſſe poſſent, diligentia parare. neque potuit aliter iudicare. Multa tamen de Patrui erga ſe voluntate atque amore loquitur et ſcribit: illeque noſtrum non ſolum in edendo Virgilio ſocium delegit, ſed etiam, quum morti vicinus eſſet, huius editionis curam noſtro demandauit. Doruillii quoque gratia floruiſſe noſtrum, quod, quum a tanto viro magni fieret, magno honori eſſe poteſt, ex laudationibus, quibus alter alterum ornauit, intelligimus. Cl. enim *Burmannus* in oratione funebri in obitum Doruillii ſe profitetur, *iuſta ſoluiſſe deceſſori, qui lampada viuus ſibi tradiderit, ſponte atque vltro, ſola pietate ac veneratione illius, quem a prima iuuentute ita, vt par erat, coluerit ac dilexerit.* —— —— *Poſtulabat hoc conſtans,* inquit, *et ſincera, quam per tot annos cum venerando patruo meo coluit, et intemeratam etiam poſt illius obitum ſeruauit, amicitia, cuius haeredem me, quod ſine vlla querela aut animorum reconciliatione habuit, vel maxime honorificum mihi ſemper duxi.* Aliam tamen eamque ſiniſtram ſententiam alii de noſtro, eius ſtudiis, moribusque ferunt. Ne quid de fama per ipſos eius populares ad nos allata, aut de litteris, in quibus mentio illius haud ſane honeſta facta eſt, aut de querelis cl. *Saxii* dicam, cl. tantum *Klotzii* iudicia, quae tamen mea minime facio (in antiburm. pag. 6.) adſcribam.

ſcribam. *Intolerabilem,* inquit, *ingenuo animo, minimeque ferendam eſſe mihi perſuaſi proteruitatem, arrogantiam, et faſtum hominis in tot viros bonos, et doctos petulantiſſime inſultantis. Ferocitas iſta comprimenda, audacia frangenda, loquacitas retardanda eſt: vlciſcendae iniuriae viris doctis ab eo illatae, qui nulla alia re fretus, quam quod Petrum Burmannum patruum habuerit, regnum in litterata republica non obſcure appetit.* et pag. 27. *Totam tuam eruditionem cum omnibus tuis aduerſariis, collectaneis, phraſeologiis, codicibus, libris et libellis non quatuor obolis aeſtimo.* pag. denique 132. *De eruditione tua tuoque ingenio valde mediocriter ſentimus, inhumanam autem et feram naturam deteſtamur, eamque omnis aetas deteſtabitur. Burmannus* tamen crimina haec in Antiklotzio abolere omnibus viribus ſtudet, eos adpellans, qui ipſo vtantur familiarius. Poſtremum in *funere* Burmanni multa ſiniſtra acerbaque iudicia de noſtro, eiusque eruditione, moribus, potandi, conuiciandi, patrui Heinſiique ſcrinia compilandi libidine leguntur, quae auctoritati, qua inter viros doctos antea floruit, multum derogent.

Multum ſtudii, et temporis a *Burmanno* arti poeticae, Apolline haud plane irato, eſſe tributum multitudo poematum oſtendit, quae laudantur ab aliis, vt in omnibus paene rebus fieri ſolet, ab aliis culpantur. *Klotzius,* quem fumae

fumae poetices non poenitet, venam illi denegat poeticam. In Antiburmanno enim *Quam eum mente*, inquit, *comprehendiſſe intelligo, lubenter animo remittat ridiculam opinionem, eſſe ſe virum diſertum et poetam egregium. Equidem non alienus a poetices ſtudiis ſic ſentio, ſic mihi perſuaſio, eamdem eſſe dulcedinem vocis Burmanianae, quam irati dei pecori cuidam, quod ipſe Arcadicum appellat, tribuerunt.* *Van Groen* tamen et *Cornelius van Oudendorp* in orat. funebri laudata, *Chriſtius* aliique eum ob artem hanc diuinam laudibus efferunt. In *Funere Milphio* ita iudicat de Muſa *Burmanniana. Praeterea vehementer erratis, ſodales, ſi Burmanni Muſam blandam aliquam facilem et pulchram virginem fuiſſe exiſtimatis. Non ferre et ſuſtinere potuiſſet miſera puella illam contractionem frontis, illam ſuperciliorum moeſtitiam. Vidi olim, ah! horret mens meminiſſe, ſed vidi olim media nocte Muſam illam Burmanni noſtri. Vetula erat: tumens labris: comam torta: colore fuſca: exilis cruribus: ſpatioſa planta prodiga. Pectora lata iacebant, mammis et continuis rimis rigebant calcanea fiſſa. Modo illa murmurare, modo mugire, modo dentibus frendere: magnum volumen Epicediorum, Dedicationum, Epithalamiorum, Genethliacorum ſub bracchio geſtare: toruis oculis omnia deuorare: auriculas ſic mouere, vt ſolent aſellorum. Quis igitur aliud quidquam tunc Muſam amori-*

bus ſuis, Burmannulo ſuo, dictaſſe putet, quam contumelioſos Iambos, horridulos verſiculos, et ipſa morte triſtiora Epicedia?

Inter alia vero poemata, a noſtro condita, in quorum nonnullis complures ciuitatis principes ſalibus defricuiſſe dicitur, ipſumque cognatum *Caſparem Burmannum*, cuius integritate muſam eius non peperciſſe adfirmatur in Funere pag. 8. ſunt carmina in obitum Petri Doruillii in huius poematibus pag. 239. et in obitum Iac. Phil. Doruillii in orat. funebri pag. 49. Illi quoque tribuuntur duo carmina, quorum alterum, *inſula a foederatis obſeſſa*; alterum *S. . . . ancillam ducens*, inſcriptum eſt, quae vero patrui nomine edenda praebuit. Idem auctor eſſe dicitur carminis in principem haereditariam gubernatricem iniurii atque inſcripti: *Ad manes violatos Iani Wittii, libertatis Batauae vindicis quondam ac victimae*, (ſub nomine *Philaleth. Batavi* latere voluit). a. LVII, 4. cuius initium eſt

Wittiadum cineres et Barneweldia buſta
Vrnaque ab impura non temeranda manu!
Quicquid et Heroum fatali a caede ſuperſit
Oſſaque vix terris intumulata ſuis!
Ecquid honorati manes ſentitis in vmbris
Curaque vos dirae tangit inulta necis?

Finis autem:

Amſtelii donec Capitoli immobile ſaxum
Sentiet addictos in ſua iura patres,

Bru-

Brutus erit patriae leges qui vindicet aequas,
Arceat et famuli pondera dura iugi.

Verum praeter litteras elegantiores, quibus etiam, quum in academia litterarum cauſſa commoraretur, vacauit, doctoribus in his vſus nulli ſecundis, patruo ſuo, *Carolo Andrea Dukero* et *Arn. Drakenborgio*, operam dedit addiſcendae iurisprudentiae, quantum quidem plerumque ſufficit in Belgio ad honores ſummos in illa capeſſendos, quos, defenſo antea priuatim libello de iure annulorum aureorum, anno XXXXIIII. d. 13. Aug. adeptus eſt *). Sed de ſtudiis noſtri atque moribus ſatis nunc, quamquam ad hanc materiam ſaepius perueniemus. Antea vero quam munera, quibus adminiſtrandis praepoſitus eſt *Burmannus*, commemoremus, de vxoribus, quas in domum duxit, paucis agemus.

Tres in matrimonio habuit. Prima e gente fuit *van der Streng*, cum qua quomodo vixerit, cl. *Klotzium* audiamus in epiſtola pag. 14. *Ipſe vero Burmannus*, ait, *ſciat, me non ignorare — — qualem ſe erga conſanguineos et affines praeſtet; quibus calumniarum tormentis vxo-*

*) Sed vide *Klotzii* epiſtolam pag. 16. Hunc titulum alias honorificum in *Burmanno* idem ſaepius irridet.

vxorem cruciaſſe, *et* (*horreſco referens*) *iam iam morituram mentiri coegiſſe dicatur*. Et in *Funere* iocoſe: *Iam primum vos omnes ſcire opinor concordiſſime illum vixiſſe cum fratribus, cum ſocero, cum vxore ſua, quae cum diem ſuum obiret, ſe nunquam cum illo in gratiam rediiſſe teſtata eſt. Quo quid praeclarius dici poteſt? Atque etiam illam amauit ſemper vehementiſſime, ſemper hirundinem ſuam, monedulam, paſſerculum, putillum appellauit.* Altera *Knuyzia*, filia mercatoris aut fabri aerarii apud Amſtelodamenſes, cuius quam ridicule ambiuerit nuptias, in carmine belgico: *Frieſche Bukkens op deutſche Schotelern opgediſcht voor Profeſſorale Pasquillenmaekers en trouzieke Zuffereu.* 4. indicatur. Tertia denique *Sixia*, cuius pater ob notas cauſſas ſolum vertere coactus eſt.

Iuuenis adhuc ad rempublicam litterariam adceſſit, amplamque prouinciam accepit. Euocato enim *Weſſelingio*, viro ingenio et doctrina praeſtantiſſimo a. XXXV. Traiectum, noſter a curatoribus academiae Franequeranae creatus eſt, qui in tradenda hiſtoria atque eloquentia tanto viro ſuccederet. In oratione ob auſpicia officii d. XXII. Mart. a. XXXVI. in curatorum conuentu habita dixit *pro criticis*. Poſt biennium d. XVII. Martii orationem partim ligatam partim proſaicam habuit de *artibus Mineruae multum praeferendis opibus, quas nequam Pluto adfert*. Ao. XXXXI. nactus

nactus quoque eſt munus poetices. Hac in vrbe iucundam ſe egiſſe vitam, in carmine in obitum Iacob. Guilh. Doruillii grata memoria repetit. Pag. enim 54.

Et mihi primus amor quondam iuuenique voluptas
Confundit lacrimas Franeca docta ſuas.

Summa cum voluptate Franequerae *Burmannum* vixiſſe, lepida hiſtoria a *Klotzio* in epiſtola commemorata teſtatur. Ita vero ille: *Ipſe vero,* inquit, *Burmannus ſciat, me non ignorare, qualem ſe geſſiſſe Franequerae, quae ibi ſacra Deae neſcio cui feciſſe, quodque eidem tributum ſoluiſſe, quam ridiculo funere, in loco non honeſtiſſimo deprehenſus, a iuuenibus elatus, quam turpiter vel in caſtris prope Leowardiam poſitis graecatus, vel nocturno tempore per vicos graſſatus eſſe excubitorumque oculos et manus in aedium tecta felium gliriumque more euadendo fefelliſſe feratur.*

Huc vsque multis iam libris et libellis vel ex ingenio ſuo profectis vel ab eo recenſitis famam conſequutus eſt. Praeter epicedia, epithalamia, et Satiras quasdam ab eo ſcripta ſunt haec:

Sapientia Hyperborealis. a. XXXIII. vid. cl. *Klotzii* epiſtolam ad vir. eruditos p. 15.

Oratio, qua munus profeſſoris auſpicatus eſt, ſub nomine *Petri Burmanni Fr. Fil. Fr.*

 Nep.

Nep. pro criticis Franequerae a. XXXVI. Fol.

Henrici Valeſii, militis, domini d'Orce, conſiliarii et hiſtoriographi regii, emendationum libri V. Et de critica libri duo, numquam antehac typis vulgati. Eiusdem, vt et Nic. Rigaltii et Iſm. Bullialdi diſſertationes de populis fundis. Accedunt Henr. Valeſii orationes variae iunctim excuſae, et Hadriani Valeſii oratio de laudibus Ludouici XIV, et carmina nonnulla inedita. Praefixa eſt Henr. Valeſii vita, ab auctore Hadr. Valeſio recognita et emendata. Edente Petro Burmanno Fr. Fil. Fr. Nep. qui praefationem notas et indices adiecit. Amſtelod. a. XXXVIIII. 4.

Quidquid bonae frugis in his edendis attulerit, debere illum ingenio atque eruditioni *Hemſterhuſii*, cl. *Klotzius* in Funere adfirmat. Atque plagula prima, typis iam exſcripta erat, quae in ſcriniis adhuc viri cuiusdam docti adſeruatur, in qua ſeni venerando *Hemſterhuſio* omnia tribuit cum ſummis laudibus. Hanc vero, neſcio quam ob cauſſam ſuppreſſit, aliamque plagulam, in qua quidem viri illius mentionem facit, multis tamen, quae ante confeſſus eſt, omiſſis, prelo ſubiiciendam curauit.

Epiſtola Charlottae Amaliae.

vid. cl. *Klotzius* in epiſt. pag. 15. Notatur B. ideo in *Charlottae Amaliae epiſtola ad virum clariſſimum Petr. Burmannum Fr. F. Fil. N.* *Ba-*

Bataunm data. Halae Magdeb. d. XII. April. a. cIɔIɔCCXXXX.

Epicedion in funere Georgii D'Arnaud. Franequerae, a. XXXX. 4.

Nicolai Heinſii aduerſariorum libr. IV. numquam antehac editi, quibus varia auctorum veterum praeſertim poetarum emendantur et illuſtrantur. Accedunt Heinſii notae ineditae in Catullum, Tibullum, et Propertium. Curante P. Burmanno qui praefationem et nonnulla alia adiecit. Harlingae, a. XXXX. 4.

Nunc adſciuit cognomen *Iunioris.*

Quum a. XXXXII. doctiſſimus et vere eruditus Doruillius munere ſuo decederet; et preces viri huius, qui *Burmannum* ſecum habere, eiusque conſuetudine delectari voluit, et fama, qua inter ſuos *Burmannus* floruit, commouerunt curatores Athenaei Amſtelaedamenſis, vt in noſtrum munera hiſtoriae, eloquentiae et linguae graecae deferrent. Illorum voluntatem eo lubentius ſequutus eſt vir clariſſimus, quo maiorem voluptatem atque vtilitatem ex conſuetudine cum Doruilio ſuoque fratre, qui in illo Athenaeo munere Profeſſoris tum fungebatur, ſe capturum eſſe, augurabatur. Nec illum ſpe excidiſſe ex ſermone, quem ille cum *Saxio* ſeruit, (vide depulſionem p. 32.) intelligere poſſumus. Nam dixiſſe, ſcribit *Saxius*, omnia ſibi nunc ex voto ſuccedere; ſcholarum ſuarum negotia ſe regere et diſpenſare pro arbitrio;

trio; adhaec vehementer ſe dubitare, an Lugdunenſis academiae cathedram ſibi aliquando offerendam cum Amſtelaedamenſi commutaturus ſit. Poſtquam Amſtelaedamum deceſſerit, d. X. Septembr. munera auſpicatus eſt oratione doctiſſima lectuque digniſſima tota ferme ligata: *De enthuſiaſmo poetico*, typis poſtea Amſtelaedami, e. a. maior 4. excuſa.

Hanc orationem, quam a patruo ſcriptam eſſe, omnes tum credebant, in verſus lingua belgica conſcriptos transtulit *DietricusSmits*, annoque ſeq. *Rotterodami* in publicum edidit, atque inſcripſit noſtro *Burmanno. Smithius*, qui ipſe latinas neſcit litteras, *Ioſua van d. Poorten* vſus eſt latini carminis interprete. *Smits* opera atque ingenium egregie laudantur. Totius carminis verſio eſt quoque in *Boekſaal* Febr. XXXXIIII. pag. 173.

Oratio in obitum Cornelii Sieben, I. V. D. et Prof. a. XXXXIII. 4to maior.

Anno XXXXIIII. d. 25. Ian. nouum munus accepit. Athenaei enim curatores, quum cl. *Burmannum* artis poetices gnarum et peritum eſſe, ex tot carminibus intelligerent, ei profeſſionem poetices demandarunt. Hunc honorem doct. *van. Hooven* (qui quidem ſe non nominauit, eum vero auctorem eſſe ſcimus) gratulatus eſt in diſſertatiuncula, quae vna plagella conſtat, et *Zwollae* typis exſcripta et inſcripta eſt. *Viro cl. et doctiſſ. Petro Burmanno F. F.*

F. F. F. N. hiſtoriae eloq. et graecae linguae P. P. et O. felicem in patriam reditum gratulatur et obſeruationes in Septimium de bello Troiano D. M. M. Q. D. D. Ianus ab Aula. Haec ſcriptiuncula in paucorum venit manus. poſtea tamen in Hamburgiſchen vermiſchten Bibliothek Vol. III. pag. 5. ab interitu vindicata eſt, vbi van Hooven nomen *Theocriti ab Hortis* ſibi impoſuit. Anno denique LII. adceſſerunt officia praefecti bibliothecae publicae, et latinarum ſcholarum *Viſitatoris,* non *curatoris,* vt *Strodtmannus* ſcripſit. haec enim officia valde diuerſa ſunt. Quum d. XXII. Septembr. actui cuidam publico primum intereſſet his honoribus ornatus, et cl. *Otto Arnzenius,* more conſueto illos eum gratularetur, noſter habuit orationem, qua apud multos in ſuſpicionem venit faſtus et arrogantiae. Verba quae forte multis diſplicuerunt, ego vero Strodtmanno accepta refero, adſcribam. *Omnem aetatis meae vigorem in illius* (Gymnaſii) *et litterarum commoda hac quoque parte promouenda impendere decreui; vt ea, quae bene et laudabiliter hic conſtituta ſunt, confirmentur et augeantur; quae vero perperam et praepoſtere hactenus obtinuerunt, moderata emendatione ex veſtra* (Conſules et Scholarchae) *auctoritate corrigantur: ne videar inani ambitione ductus vana tantum titulorum incrementa captaſſe, et hoc, quidquid eſt, muneris non adeo deceſſoribus, eccleſiae myſtis, rerum*

harum

barum forſan peritioribus, eripuiſſe, quam quidem noſtro ordine poſtliminio vindicaſſe - - - (Rectorem et reliquos collegas adloquutus). *Auſpiciis ampliſſimorum conſulum freti, meisque conſiliis numquam vobis defuturis vſi, feliciter Muſis litate! omnesque ingenii neruos in eum vnice ſcopum intendite, vt publica litterarum et Gymnaſii huius ſalus ſuprema vobis lex ſit.* Lepida quoque hiſtoria cum ludimagiſtro, qui litteras latinas docturus a noſtro impeditus fuit, in omnium ore eſt Batauorum. In hac vrbe, praeſertim in villa Santhorſtiana iucundam agit vitam, et edendis auctoribus claſſicis partim a Patruo aliisque adornatis, partim ſua ipſius opera emendatis, aliisque ſcriptis et famae et orbi litterario conſulere ſtudet. Eius induſtriae atque eruditioni multi homines eruditi plauſerunt, multi vero, praeſertim aduerſarii, eam exſibilarunt. Villa quoque Santhorſtiana, vbi plerumque litteris vacat, occaſionem praebuit iocandi. Illum enim cl. *Klotzius* vocauit in epiſt. pag. 15. *Ludimagiſtrum Santhorſtianum*; cl. vero *Saxius* in epiſtola ad Burmannum minorem titulis honorificentiſſimis *Liberi Baronis de Santenhorſt*, et *Toparchae Santhorſtiani* adpellauit. Quae autem poſthac edidit haec ſunt.

Virgilii Maronis opera cum, integris et emendatioribus commentariis Seruii, Philargyrii, Pierii. Accedunt Fuluii Vrſini, Georgii Fabricii,

bricii, Franciſci Nanſii, Io. Muſonii, Tanaquilli Fabri et aliorum ac praecipue Nicolai Heinſii notae nunc primum editae, quibus et ſuas in omne opus Animaduerſiones et variantes in Seruium lectiones addidit Petrus Burmannus, poſt cuius obitum interruptam editionis curam ſuſcepit et adornauit, Petrus Burmannus Iunior: cum indicibus abſolutiſſimis et figuris elegantiſſimis. Amſtelaed. a. XXXXVI. 4. IIII. Vol.

Burmannus Senior in hac praeſtantiſſima editione, cui immortuus eſt, quid praeſtiterit, ex inſcriptione iam adparet. Eius praeſertim induſtria atque diligentia in emendatis Seruio indiceque Erythraei, quem Emeneſſius et Maſſuicius deprauarunt, ſummam merentur laudem. *Heumannus* et *Maſſuicius* paſſim cum aliis, ignominioſe tractantur. Noſter vero Iunior in praefatione de ſubſidiis, quae patruus et Heinſius adhibuerunt, de antiquiſſimis Virgilii commentatoribus, de recentiorum obſeruationibus, aliisque ad Virgilium pertinentibus copioſe diſputat. Laudat quoque cl. *Sachſium*, in quem tamen impetum poſtea fecit atrociſſimum, ut et in doctiſſimum *Marklandum* praue inuehitur. Denique indices rerum et verborum, tum auctorum veterum, qui emendantur illuſtranturue, tum recentiorum, qui notantur vel laudantur in notis interpretum, tomo primo praemiſit. In zuverläßigen Nachrichten P. 85. copioſe recenſetur.

Spe-

Specimen nouae editionis Anthologiae latinae et animaduerſionum ad epigrammata et catalecta veterum poetarum latinorum prodromus &c. Amſtel. a. XXXXVII. 4.

Reiskius, qui peritia linguarum, arabicae, latinae graecaeque haud vulgari perennem ſibi comparauit famam, in nouis actis erudit. a. XXXXVIII. menſ. Martio P. I. pag. 123-133 (huius enim recenſus auctor eſt vir laudatus) in hoc ſpecimine acerbe accuſat Burmannum prodigae abundantiae obſeruatt. in locis faciliorібus, quum tamen parcus fuiſſet in interpretandis arduis atque obſcuris, obſeruationes quasdam B. criticas ſub examen vocat, ſuumque de illis exponit iudicium, vid. etiam cl. *Klotzius* in antiburm. pag. 16.

Oratio in obitum Iacobi Philippi D'Orville, I. V. D. et in illuſtri Amſtelaedamenſium Athenaeo hiſtoriarum, eloquentiae et linguarum profeſſoris ordinarii defuncti inter d. XIII. et XIV. Septembris a. LI. dicta publice — d. XXII. Octobris a. LI. Amſtelaedami.

Cl. *Klotzius* de hac oratione in epiſtola pag. 13. ita iudicat: *Nihil profecto legi vmquam oratione illa . . . dignius ſeptennis pueri ingenio: Tanta eſt barbaries orationis: adeo neglecta ſemper verborum collocandorum coniungendorumque ratio. . . .*

Petri Lotichii Secundi Solitarienſis poemata, omnia editis auctiora et longe emendatiora. Accedit eius-

eiuſdem narratio de caede Melchioris Zobelli epiſcopi Herbipolenſis epiſtolarum libr. II. vita P. Lotichii a diuerſis auctoribus deſcripta. Adoptiuorum libr. III. &c. recenſuit notis et praefatione inſtruxit, Petrus Burmannus. Tom. I. II. Amſtelaed. a. LIIII. 4.

In nou. actis eruditorum, menſ. Mart. a. LV. Part. I. pag. 111. *Chriſtius, Burmannum* hancque editionem laudat. Chriſtii verba haec fere ſunt. "Inter principes Germaniae poetas atque princeps adeo numeratur merito ſuo *Lotichius* ſecundus, omnibus omnium aliarum nationum poetis praeſtantiſſimis, qui quidem a renatis litteris exſtiterint, vel par vel ſuperior atque ipſis antiquis melioribus comparandus. Lotichiana carmina primum edita ſunt ab ipſo duo et viginti annos nato Pariſiis apud Vuſcoſanum a. MDLI. octonis, ſed pauca: vnus elegiarum, decem, et vnus carminum liber. Succeſſit anno poſt liber carminum ſecundus Lugduni. Poſt mortem viri a. MDLXI. repetita ſunt Lipſiae apud Ern. Voegelin hortante et curante magno *Camerario*, additis pluribus aliis carminibus, vt quinque libri fierent, quorum quartus a vero *Lotichio* Bononiae editus fuerat. Lipſiae aliisque locis poſtea edebantur pleraque carmina mutata vel corrigendo vel addendo vel detrahendo. E bibliotheca Vffenbachiana codex, in quo eſſent carmina Petri plurimis acceſſionibus locupletata, quem

Io. P. Lotichius, Petri e fratre nepos, reliquerat, a I. P. Dorvilio emtus in manus venit *Burmanni* Secundi." Hic igitur laudabile opus ſuſcepit, qui in colligendis, illuſtrandis et publicandis eius carminibus omnem adhibuit operam, adiutus a *Saxio*, qui precibus *Burmanni* commotus (vt ex epiſtolis B. ad *Saxium* in huius *vindiciis* vidimus) ex Germania ſuorumque amicorum ſcriniis multas *Lotichii* elegias arceſſiuit. *Burmannus* et *Lotichii* manes diligentiae *Saxii* multum debent. Haec tamen *Saxii* officia et viris eruditis et antea *Burmanno* grata, hic, ſuſceptis cum illo inimicitiis, de quibus ſtatim pluribus agemus, poſtea male interpretatus eſt. Ipſum *Saxium* audiamus in *depulſione* pag. 18. *Totum illud vanum*, ait, *et fictum eſt, quod homo ventoſiſſimus ſcribit, me amicitiam eius variis modis non diu antea ambiiſſe, et non vno obſequio eum, vt hominem bonum lactarem, demereri tentauiſſe, communicatis, et e Germania ipſi arceſſitis nonnullis Petri Lotichii ſecundi elegiis. - - - - Cur autem nonnulla ad Lotichium praeſidia e Germanis exciuerim - - - ratio profecto non fuit, quod hominem bonum lactare conabar, ſed quod ſtudioſe petentis ſpem verborum et excuſandi, vt ſit ſaepe, coloribus fruſtrari non poteram.* Quidquid eſt, habemus nunc Lotichii poemata nitidiſſime exſcripta, et commentario illuſtrata operoſo. In huius libri

libri inſcriptione, vt ſe a patruo diſtingueret, tertium commutauit cognomen, nomine ſcilicet *Secundi* ſibi impoſito. Conſtat inter plerosque, quam iocoſe, quam acerbe illuſerint viri docti grandiſonum hoc cognomen. Cel. *Fiſcherus* in ſua Palaephati editione pag. 15. ita irridet eum: *De permutatione vocabulorum* σκευή *et* σκηνή, *in libris ſcriptis habet quaedam Pierſonius, qui ſolus ſibi, vt Secundus ille, ſi dIs placet, Burmannus, ſapere viſus eſt, ibi etiam, vbi alios iam ſapuiſſe vidiſſet, ad Moerid. pag.* 22. Cl. *Klotzius* in Antibu m. pag. 10. *Inepte profecto*, ait, *et male Burmannus ſibi Secundi nomen impoſuit. Quid enim indicare vult? Vtrum hoc, patruum ſuum principem fuiſſe criticorum; ſe nunc eſſe alterum ab illo? Erunt ſine dubio multi, qui vtrumque negent et pernegent. An illud? ſe Secundum eſſe patruo doctrina, acumine, eloquentia. Hoc vero omnes iam intelligunt atque fatentur. Quid igitur eſt? nempe clariſſimo documento faſtum animi atque ſuperbiam demonſtrare voluit.* et pag. 12. *Antea regum et principum mos erat, primi et ſecundi nomen ſibi imponere. Nunc vide, quam mutata ſint omnia. Iſti* (*grammatici*) *idem faciunt, atque libris tam magnificos titulos praefigunt, vt vadimonium facile deſeras.* Aliis locis iocandi cauſſa addit *Burmannus Dei gratia*, aliis, *Eridis gratia ſecundus.* Auctor denique notarum in verſione *depulſionis bel-*

 gica,

gica, pag. 8. *Ziin Allerdoorluchtigſte Genade Piet de Tweede.* In *Critiſch. und zuverläßig. Nachr. T. II. P. 4. p. 303.* dicitur: *Herr Burmann iſt erſt ungemein böſe, daß ihm Herr Klotz nicht den Zunahmen Secundus gönnen will, und geräth darüber in einen groſen Eifer. Herr Klotz hat auch gewiß hierinne unrecht Uns dünckt, Herr Burmann habe ſchon ſo viel Schimpfwörter gelernt und gebraucht, daß man ihm dieſen verehrungswürdigen Tittel allerdings zugeſtehen muß. Und wahrhaftig, es muß zu der Aufnahme der Wiſſenſchaften und zur Ermunterung junger Gelehrten dienen, wenn man lieſet: Wir von Gottes Gnaden, Peter Burmann der Zweite, entbiethen allen Kunſtrichtern unſern critiſchen Gruß.* Ita vero ambitio vel leuis cauſſa irridendi occaſionem praebet. Cl. tamen *Burmannus* hac ambitionis ſuſcipione aut honoris, quem hoc titulo captaſſe aliis videbatur, ut in *Antiklotzio* pag. 8. ſqq. ſe liberet, brachia lacertosque mouet.

Non ita multo poſt editum Lotichium lis cauſſaque inter noſtrum *Saxiumque*, quem antea tamen ſemper laudauerat, ortae ſunt. Ne praecipua pars vitae Burmanianae a nobis praetermiſſa videatur, initium et progreſſum litis, cui cl. *Klotzius* poſtea implicitus eſt, ita enarrabimus, vt neutrius laudi famaeque aliquid detrahamus. *Cl. Saxius* ipſe initium nos doceat in depulſione pag. 12. *Poſtquam Traiectum concedens apud eum (Caſpar. Burmannum)*

num) d. X. Ian. LII. habitare coeperam, ſaepe accidit, vt vel de litteris communibus mecum iucunde confabularetur, vel vltro polliceretur, quicquid in ſua haberet librorum ſupellectile ad iuuandas ſtudiorum meorum rationes opportuni, id omne mihi - - - - perlibenter ſubminiſtraturum eſſe. Non multo poſt ſua ſponte mihi non paucas veterum auctorum editiones, manu virorum doctorum notatas, multasque Heinſii, inprimis patris ſui chartas obtulit, et ad conclaue meum deferri iuſſit, vt tantumdem inde excerperem, quantum vellem, aut in rem meam forte exiſtimarem, neque ſe impedire aiebat, quo minus libros et chartas, apud me tamdiu ſeruarem, donec plus otii nanciſcerer ſingulas accuratius cognoſcendi et deſcribendi. . . . . Inter ea quantum mihi ab inſtitutione puerorum, aliisque ſaeculi officiorum nugis ſupererat temporis, quod ſaepe perexiguum remanſiſſe dolebam, iſtud totum in deſcribendas mox has alias virorum doctorum ſchedas & animaduerſiones conferre coepi. Recenſet *Saxius*, quas notas et animaduerſiones ſua manu conſignauerit. Hanc vero deſcribendi auiditatem negotiorum aliorum interpellatio, ipſumque munus publicum Profeſſoris, quod *Caſp. Burmanno* ſuffragante nactus eſt, retardarunt. *Saxius* autem quum a. LII. menſ. Decembr. pluteos ſuam librorum ſupellectilem continentes, vacuefacere et domicilium mutare cogeretur: ex huc

 im-

improuiſa et praecipiti habitationis mutatione, multas habuit moleſtias atque incommoda. Omnis enim bibliotheca raptim in ciſtas collecta in domum anguſtam aſportabatur. vnde factum eſt, vt vulgares patris puerorum libri faſciculique carminum orationumque per errorem operarii hominis in *Saxii* libros irreperent, iſtique libri chartaeque, quarum inueſtigationem et quaſi fructum ipſi conceſſerat *Caſp. Burmannus* apud *Saxium* nec inuito domino nec ingratiis tamdiu reſiderent, donec inde delibaſſet, quae ſciendi cupiditatem et ſitim reſtinguerent. Per integrum ferme triennium haec dilationis conſilia minime interpellauit *Caſp. Burmann.* Anno LV. quum hic obiiſſet, eiusque pars bibliothecae, autographis virorum doctorum referta, donatione teſtamento legata ad filium eius maximum tranſiret, hic illorum ius *Petro Burmanno* ceſſit per venditionem. *Petrus* igitur *Secundus* menſe Aprili a. LVI. adiit *Saxium*, ſibi omnia, quorum vſum patruelis indulſerat *Saxio*, vt traderentur, acerbe atque importune contendens. Quos *Saxius* libros, ex bibliotheca *Caſp. Burmanni* mutuatos, in tam anguſta domo, bibliotheca mutata atque perturbate collocata, inuenire poterat, ſe ſubinde reddidiſſe nouo poſſeſſori, adfirmat. Simultatibus vtriusque animum occupantibus, *Burm. Saxium* palam male accepit. Diptychon academicum, a cel. *Saxio*, academiae

miae tum Rectore in obitum *Irhouii*, in quo hunc *probabiliter* docuiſſe, dixerat, *Burmanno* commodam dedit occaſionem, *Saxium* palam aggrediendi ac proſcindendi. Iam antea *Burmannus* in praefat. ad *Claudianum* pag. 24. in *Saxium*, nomine quidem ſuppreſſo, vehementer inuectus eſt. *Haec omnia*, inquit, (*adnotata, quibus patruus exemplar ſuum pro more conſcripſerat, tam in fronte quam calce libri*) *cum innumeris aliis eiusmodi ſchedis dilacerauit, clepſit rapſitque fundi noſtri literarii calamitas, immanis ille Muſei Burmanniani helluo ac praedo, cuius rapinas et furta ingentia non vagis tantum aut malignis diſperſa rumoribus, ſed inſigni optimorum iactura et diſpendio experta, ſi in iuſtum et atrum indicem et veram ignobilis facinoris hiſtoriam vel meae ſolius exiſtimationis vindicandae omnia coniecta et digeſta publicae tandem luci exponere me cogat importunitas illorum, qui immeritum et innocentem falſis criminationibus oppreſſum credi ac perſuaderi vellent, rebus ipſis probatum ac demonſtratum videbunt hominem furaciſſimum et periurum ex togatorum virorum albo eradendum. . . . . Sed haec ſuo loco.* Atque fidem ſuam ſoluit. Frater *Franciſcus* in oratione in obitum *Irhouii* de hac formula *probabiliter docentis*, (verba autem diptychi haec ſunt: Viri - - Guilielmi ab Irhouen S. S. Theologiae et Philoſophiae Doctoris, illiusque ordinis, vt et hiſtoriae

 eccle-

eccleſiaſticae Profeſſoris ordinarii - - - - viri ſane in tantum laudandi, in quantum doctrinae Theologicae puritas communium litterarum amor et ſtudium, *probabiliterque docentis* ars et ratio intelligi poteſt,) iam acerbe atque inuidioſe dixerat. *Petrus* vero edidit poſtea

Epiſtolam ad Fratrem a. 4.

Burmanni epiſtola eſt in linguam belgicam translata huius ſententiae: Brief van den Hoogoeleerden Herre den Heere MR Pieter Burman, Hoogleenaar der Hiſtorien, Welſpreekentheid, Dichtkunde &c. te Amſterdam, aan deszelfs Broeder den Hoogeerwaarden Heere Franc. Burman, Hoogleerar in de H. Godgeleerdheid &c. te Utrecht Over de Boeken en Handſchriften van verſcheide Geleerde Mannen, uit de Boekery van Wylen Wel Ed. Geſtrengen Heere, den Heere en Mr. Kaspar Burman, ter quaader trouwe ontoreemt dor zekeren Chriſtoffel Saxe, weleer domeſtiquen onderwyzer en opziener van zyn Eds. Kindskinderen, thans Hoogleerar, en onlangs Rector Magnificus der Academie te Utrecht. Uit het Latyn in 't Nederduitſch vertaald, en met eenige Originede Stukken en Aanteekingen vermeerderd. A. LXI. In hac aperte adcuſat *Saxium* furti ſcelerisque in bibliotheca Sobrini admiſſi. Se, ſcribit, arma, quamlibet inuitum arripere, implacabili ſe non eſſe animo;

Sa-

Saxium gratiam haud exiguam adhunc diem ſibi debuiſſe, quod fatale ſtyli telum huc vsque cohibuerit: *Saxium* hactenus ſe tacentem vltro prouocaſſe; cur omnes ſcenae actus pandat, id vnice fieri ſuae exiſtimationis defendendae cauſſa; ab acriori verborum acerbitate ſibi abſtinendum propoſuiſſe. Si virorum, pergit, grauium amicorumque conſiliis obſequi maluiſſem, ad iudicem deferendus fuiſſet, vt ſectus flagellis mox triumuiralibus Praetoris ad faſtidium meritas facti poenas luiſſet: quum redemtos a patruele libros et chartas ad indicem manu *Caſparis Burmanni* ſcriptum exegiſſet, vltra dimidiam ſe huius eruditae ſupellectilis partem deſideraſſe. Quum ſectionis bibliothecae Burmannianae die *Saxium* ad ſe adduci iuſſiſſet, vt libros ex torqueret, pallido Saxium gloriatur vultu confuſum tremuloque greſſu fere titubantem veniſſe, ſe rediiſſe ad amicos, dicentem, habere ſe confitentem reum. Subinde ſe, narrat, per litteras et voce extorſiſſe libros, quorum inſignem Aduerſariorum, obſeruationum collationum cum codicibus a patruo Heinſioque conſcriptarum, dat catalogum: vxorem *Saxii* in lacrimas effuſam, ipſum deprecari et per Deûm hominumque fidem obſecraſſe, vt funeſtam hanc litem obliuione ſepeliret: duas ſe ingentes ciſtas rapinis Saxianis onuſtas accepiſſe. Haec ſunt crimina, quae *Burmannus Saxio* furens obiecit, quae in libro

famoſo *Interim* inſcripto non ſolum repetiit ſed etiam cumulauit. *Cl.* autem *Saxius*, qui lenioribus verbis humanitate pacisque ſtudio (cl. *Burmannus* ſilentium *Saxiique* tarditatem contendit ſceleris conſcientiam indicare) aduerſarii animum non ſeduxit, ſed eius furorem magis inflammauit, in *iuſta depulſione immanis calumniarum atrocitatis*, omnibus enarratis, crimina depellere maculamque furti delere bene ſtuduit: at cl. *Burmannus* eadem in *Antiklotzio* non ſolum denuo enarrauit, ſed iure quoque iurando profeſſus eſt, ſe vera dixiſſe et ſcripſiſſe, eaque eſſe probaturum. Quomodo vero *cl. Saxius* iuſto modo ſe defenderit, et *cl. Klotzius* huic liti ſit implicitus cum poſtea, tum maxime in horum vitis vberius exponemus. Fac vero *Saxium* retinuiſſe quosdam libros *Heinſianos*, ille in *depulſione* pag. 61. haud male reſpondiſſe videtur: *Quaſi vero nunc conſenſerint haeredes Heinſii aut conſenſuros eſſe ſperandum ſit, ſi modo ius ſuum vindicare velint, vt iſtiusmodi theſauris Petrus minor Burmannus incubet.* Idem quoque dicit auctor notarum *depulſionis* Saxianae in linguam Batauam translatae pag. 56. ad verba modo memorata *Saxii*: *De algemeene vraag is, gelyk ieder weet, hoe zyn tog die Handſchriften, Collatien, Brieven, Boeken en Papieren van Heinſius aan de Burmannen gekommen? Men heeft uit Kracht der Voorredens*

van

van Petrus Burmannus de eerſte over verſcheidene van hem uitgegeeven Auteuren, als ad Phaedri Fabulas Amſtel. 1698. 8, ad Horatium cum Rutgerſii lectionibus venuſinis. Traj. ad Rh. 1702. 12. ad Petronium, Traj. ad Rh. 1709. 4. ad Velcium Paterculum L. 8. ad Valerium Flaccum cum variorum notis, Leidae 1724. 4 ad Poetas minores, Leidae 1731. 4. ad Lucanum, Leidae 1720. en de Admonitio de editione Virgilii a Pancratio Masvicio prodita (Miſcell. obſerv. vol. VIII. T. I. pag. 83.) hier niet anders op kunnen antwoorden, als dat hem eene menigte papieren van Heinſius door deszelfs erfgenaamen, dat is door den Heer Goes, en voornamelijk door den Heer Carolus Crucius, die beide door huwelijk aan de Familie van Heinſius vermaagſchapt waren, was geleend geworden. Nergens immers vindt men eenige Koop of verkoop Waarvandaan is het dan gekomen, dat deeze Papieren en Schriften by de Burmannen gebleeven zyn, en zy dezelve zich toegeeigend hebben? Deeze vraag zal dan moeten onbeantwoord blijven, daar men inmiddels na kan zien wat Pieter Burman de eerſte ſchryft teg ns Maaswyk in dezelve Admonitio (Miſc. Obſerv. vol. VIII. Tom. I. pag. 86. ſeqq.)

Inter has ſimultates, inimicitias litesque atrociſſimas edidit noſter opus diu antea promiſſum, cuius inſcriptio eſt:

Anthologia veterum latinorum epigrammatum et poematum ſiue Catalecta poetarum latinorum in

in VI. libros digeſta ex Marmoribus et Monumentis inſcriptionum vetuſtis et codd. MSS. eruta primum a Ioſepho Scaligero, Petro Pithoeo, Frider. Lindenbrogio, Theodoro Ianſonio, Almelouenio aliisque colligi incepta, nunc autem ingenti ineditorum acceſſione locupletata, concinniorem in ordinem diſpoſita et nonnullis virorum doctorum notis excerptis illuſtrata cura P. Burmanni Secundi qui perpetuas adnotationes adiecit. Tom. I. II. Amſtel. a. LVIIII.

Liberum de ea iudicium propoſuit cl. *Klotzius*, qui nihil vmquam ante habuit negotii neque cum *Burmanno* neque cum *Saxio*, in *act. erudit. a. LVIIII. menſ. Decemb.* Laudauit *cl. Burmanni* ſtudium diligentiamque in conquirendis et explicandis catalectis. Quae vtilia, quae erudita in commentario et catalectis ſibi videbantur, laudibus extulit, in quo autem ab auctore Anthologiae diſſentiret, libere dixit. Quae contra *cl. Reiſkii* cenſuram ſpeciminis Anthologiae, et *Acta eruditorum* a Burmanno acerbe dicta ſunt depellere ſtuduit. *Burmannus*, quoniam auctorem huius recenſus a *Saxio* eſſe ſubornatum et *pretio preceque* emtum putauit, in cl. *Klotzium*, quia *Saxii Onomaſticon* etiam laudauerat, vehementer inuectus, *mulum mulum fricuiſſe* ſcripſit. *Klotzius*, ne famam et vadimonium deſerere videretur, exacerbatus vehementia huius contumeliae et furoris *Burmanni* aduerſus *Saxium* edidit *Antiburmannum*, cuius libri

libri fata paullo poſt enarrabimus. Huius libri ſtatim ab initio tale de hac Anthologia tulit *Klotzius* iudicium: *Accepimus*, inquit, *nouam catalectorum editionem, ſi chartam et typos ſpectes, ſatis nitidam: ſi molem libri, ſpiſſam: ſi animaduerſiones, oppreſſam potius illarum copia et obſcuratam, quam illuſtratam.* Idem in epiſtola lepidam hanc hiſtoriolam memoriae prodidit: *Anthologiae latinae bibliopolam antea noluiſſe, aiunt, operas et ſumtus ſuos addicere, quam receperit, ſe Claudianum Patrui ſine vlla remunerationis ſpe mercedis loco illi conceſſurum eſſe.* Se vero defendit *Burmannus* in *Antiklotzio* pag. 31.

Quoniam veremur, ne lectorem defatigemus, in reliquis, quae dicenda ſunt, breuitati ſtudebimus. *Burmannus* creditur librum compoſuiſſe, qui inſcribitur:

Inſcriptio noua in Tabula nigra, ſed cum litteris aureis ſcripta Amſterdami ſuper camino aedis ex ſuo ipſius peculio reſtaurata, nunc primum in lucem data commento amplo et neceſſario illuminata, et contra reprobationes cauilliſticas defenſata per Gottfridum olim Monachum S. Pantaleonis Veneti Magiſtrum Baccalaureum. Stampatum in Haga a. 1758. 4. vid. *Klotzii* epiſtol. pag. 15. eſt Satyra in conſulem Amſtel.

Ariſtophanis comoediae vndecim graece et latine ad fidem optimorum codicum MSS. emendatae cum noua octo comoediarum interpretatione

tione latina et notis ad ſingulas ineditis Stephani Bergleri, nec non Caroli Andreae Dukeri ad quatuor priores, accedunt deperditarum comoediarum fragmenta a Theodoro Cantero et Guil. Coddaeo collecta earumque indices a Ioan. Meurſio et Ioa. Alberto Fabricio digeſti, curante Petro Burmanno Secundo, qui praefationem praefixit. Tom. I. II. Lugdun. Batau. a. L X.

Honorificum de hac editione iudicium ven. *Erneſtii* eſt in nouis actis eruditor. a. L X. menſ. Mai. *Cum ſpes,* inquit, *Ariſtophanis Bergleriani dudum ad nihilum recidiſſe videretur, felici quodam fato in manus Petri Burmanni, viri celeberrimi, venit opus deſtitutum, qui pro incredibili iuuandarum litterarum, quas ipſe ornat egregie, ſtudio non cunctatus eſt, hoc tantum bonum vſibus eruditoram communibus ita tradere, vt id etiam aliis egregiis acceſſionibus et cura ſua auctius atque ornatius haberent. In quo genere primum locum tenet luculenta praefatio, cuius prima pars eſt de Bergleri fatis inſtitutis, et doctrina, altera de operis ipſius Bergleriani indole et ratione . . . . De Comoediis Ariſtophanis deperditis, earumque fragmentis, bene longa et erudtiſſima eſt Burmanni diſputatio in praefatione, quam legiſſe neminem poeniteat, quod multa accuratius de nominibus Comoediarum, de diuerſisque editionibus earum, traduntur, multa fragmenta emendantur, aut, qui ea emendarint, indicantur,* deni-

denique ratio iſtorum fragmentorum recte tractandorum traditur. Ceterum ex his facile intelligent omnes quanto beneficio ſibi obſtrinxerit cel. Burmannus graecarum litterarum ſtudioſos qui haec tot ac tanta bona tam liberaliter cum iis communicauerit, optabuntque, vt ei, cum vita longiſſima, diuturna facultas detur, aliis beneficiis ſuis rem litterarum publicam augendi atque ornandi. Cur in praefatione pag. 15. Palladi Traiectinae ſe infenſum prodiderit *Burmannus, ubi ſplendidis Lycei ſui, inquit, luminibus gloriabatur Traiectina Pallas, quae tunc viſa diu felix, iam vero gloriae huius dimidium ſibi abeſſe queritur,* cauſſam indicat cl. *Saxius* in *depulſione*, quoniam poſt *Dukeri* abdicationem lectoris honorem fruſtra ambierat cl. Burmannus, et poſt Drakenborchii obitum Profeſſionis obtinendae ſpe exciderat.

Claudii Claudiani opera, quae exſtant, omnia ad membranarum veterum fidem caſtigata cum notis integris Martini Antonii Delrii, Stephani Clauerii, et Thomae Dempſteri auctioribus Nicolai Heinſii et ineditis Petri Burmanni. Accedit Sylloge variantium lectionum ex ingenti numero codd. MSS. a. Nicol. Heinſio collatorum digeſta. Subiungitur Lactantii elegia de Phoenice, vulgo Claudiano adſcripta cum curis Secundi Nicolai Heinſii et adnotationibus Petri Burmanni Secundi. Amſtelaedami, a. LX.

Cl.

Cl. Klotzius quid de hac editione iudicet, in *nouis actis eruditorum* eiusdem anni non callide ſed aperte dixit. Cl. *Burmannus* in dedicatione, vbi libertatis amorem in Batauis laudat, Sereniſſimam Friſonum domum proſcidiſſe dicitur. Praeter longam praefationem de editionibus *Claudiani*, de *Heinſii*, *Patrui* ſuisque ipſius in hunc poetam meritis addidit librum variarum lectionum e quinquaginta amplius codicibus, ab aliis tamen excerptarum.

Ciceronis opera rhetorica cum notis Graeuii aliorumque. recenſuit P. Burmannus Secundus. 8. Quum librum ipſum nondum vidimus plura de illo commemorare non poſſumus. Laudatur in ephemeridibus Lipſienſibus.

Doruillii itinerarium Siculum, opus ſane eruditum, edendum promiſit cl. *Burmannus.*

Edito *Klotzii* Antiburmanno *Burmannus* in *Gazette d' Utrecht* nr. 26. inuehitur in *Saxium* et *Klotzium* minasque ſpargit. *Saxius* ibidem nr. 32. reſpondens eum *ad ſacrum iuſtitiae tribunal* citat, ſi quid proferre velit. Neque tamen non multo poſt in lucem prodiit:

Petri Burmanni Secundi Antiklotzius. Amſtel. a. LXII.

Non ſolum in praefatione ad ven. *Erneſti* litem cauſſamque repetit, et *Klotzium Saxiumque* petit calumniis, ſed per totum librum bile iraque tumidus adparet, duoque illos viros odio aliorumque inuidiae vt exponat omnem dat ope-

operam. Exemplis Plinii, Lotichiique defendit nomen *Secundi* ſibi impoſitum. Quoniam ipſe arguitur a *Klotzio*, omne quod in Germanos et Lipſienſes in primis collegerit odium, effudiſſe in Barthium, aliorumque virorum doctorum famae maculam inuſſiſſe faſtu atque arrogantiae impulſum, ſuam de illis ſententiam copioſe exponit ſeque ſemper laudaſſe et laudaturum eſſe Germanos praeconiis dignos profitetur. Arrogantiae, impudentiae, inſcitiae atque ignorantiae linguae latinae atque poeſeos adcuſat *Klotzium*, cuius tamen peritiam, eruditionem, rarasque praecocis ingenii virtutes, ſcimus ab aliis exterisque non minus quam a popularibus eſſe laudatas. Quos in Antiburmanno obiecit atque irriſit errores *Klotzius*, eos dicit *Burmannus* partim ab incuria typothetarum profectos eſſe, partim veterum ſcriptorum ſtudet auctoritate defendere. Contra in *elegia centonaria in laudes Chriſtiani Adolphi Klotzii Philoſophi et liber. artium Magiſtri, Reu. Capit. Wurc. Capitul. extraord. Poetae caeſarei Laureati* - - - - ex huius carminibus conſuta, multa peccata in poeſi et lingua latina aliis oſtendere, ſeque purgare allaborat. Sed vereor, ne *Burmannus* perſonam induerit Orbilii*. In ſubſidium vocauit amicos, qui *catalecta Antiklotziana* ſaepe pudenda conſcriberent. At

* Certe tota fere Burmanni criminatio corruit eo, quod longe ante editum *Antiklotzium* haec pec-

At *cl. Klotzius* in *epiſtola ad viros eruditos* in *Germania* ab his criminibus famam ſuam defendit. Atque ego, cui cum *Klotzio* vetus intercedit familiaritas, affirmare poſſum, quae *Burmannus* de penuria, egeſtate, fame *Klotzii*, eumque ſubornatum prece pretioque eſſe emtum, dixerat, omnia eſſe falſa et ementita. Caueat *cl. Burmannus*, ne omnibus, quae de aduerſariis ipſi, et haud raro ſine auctore adferantur, in poſterum fidem adhibeat temerariam. Equidem ſi omnia, quae vel rumore accepi, vel per litteras de eo cognoui, credidiſſem, mul-

peccata indicavit *Klotzius* ipſe. Adſcribemus, quoniam rei cardo hac profeſſione vertitur formulam ex *Critiſch. und zuverläßigen Nachricht. T. II. P. II. p. 248.*

Ich befinde für nöthig einige Druckfehler, welche ich in meinen Elegien bemerkt, und, da ich zur Zeit des Drucks an einer genauern Durchſicht durch eine Krankheit gehindert wurde, mir nicht zugerechnet werden können, anzuzeigen. S. 20. v. 50. lies: Sic Muſae faciles in carmina, ſic et Apollo. *v. 12. l.* Qui tua. *S. 30. Z. 10. l.* Qui tibi me tellus reddet amata diem. *S. 38. Z. 10. l.* cottidie. *S. 46. v. 15.* repuliſti. *v. 24.* Floremque abſc. *S. 61. v. 2.* munificum. *Ueberdies lies in opuſc. poet. p. 6.* tunc ſeptem veteri mero *ſtatt* decem. *und p. 72.* Ocyus aufugerent. *und 78.* Quod nobis animus. *Iena, den 12 Jul. 1762.*

C. A. KLOTZ.

Vnde apparet, plura quam Burmannus notaverit notata eſſe ab autore ipſo.

multa adhuc de eius vita moribusque et ridicula et lepida fuiſſent ſcribenda. Ego vero, qui *cl. Burmannum* ob merita eius in rem litterariam atque eruditionem, quam eius aduerſarii, pluris facio, eamque ob cauſſam laudationes aliorum aeque ac vituparationes, qui ab omni parte alienus eſſe volui, ingenue candideque adſcripſi, nonniſi, quae ab aliis litteris mandata erant, vel a certis hominibus audiui, in medium protuli. Quam ob rem, me arbitror a nemine argutum iri ſtudii partium aut mulum mulum fricuiſſe.

Saxius autem denuo diluit criminationes *Burmannicas* in Antiklotzio eructatas in *epiſtola ad P. Burmannum iuniorem. Traiecti Batauorum* a. LXII. Crimen furti hoc promiſſo amolitur: *Vltro polliceor*, inquit, *me non tibi* (*ne erres, quamquam ſcio te interdum pecunia a trapezitis mutuanda indigere*) *non tibi inquam, ſed pauperibus Traiectinis quinquaginta aureos ſoluturum eſſe, ſi vel tu, vel quisquam alius* CORAM IVDICVM TRIBVNALI, *quod dixti, verum eſſe, approbauerit.* De illo autem *Antiklotzio*, in quo promiſſum; huius ſe controuerſiae finem eſſe facturum optimum iudicatur in *ephemerid. Erlangenſ.* pluribus dicere non neceſſarium eſſe iudico. Coronidis loco adſcribam litteras cl. *Klotzii* ad me hoc de libro *Iena* datas:

KLOTZIVS HARLESIO SVO S. D.

Vt nox longa, quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus: ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum,
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora,

quae adventum meum in urbem veſtram morantur voluptatemque cum ex adſpectu tot doctiſſimorum virorum, qui veſtram Academiam ornant, atque inprimis illius, qui de me immortaliter meritus eſt, ill. Michaelis, viri ſummi, tum ex Tua conſuetudine, cuius iucundiſſimo fructu tamdiu carui, percipiendam, mi amiciſſime *Harleſi.* Quae quidem res mihi multo moleſtius accideret, niſi nactus eſſem ante paucos dies, quo fallerem tempus meque ſuaviſſime recrearem delectaremque. Quid enim quaeris? Noſti *Burmannum Secundum,* quo, ſi ſoli ipſi quaerendum dederis, non venuſtiorem elegantioremque hominem inveniet. Rogas? promſit hic pectore

murrhinam, paſſum, defrutum, melinam mel quoiusmodi.
Quin in corde inſtruere nuper coepit thermopolium.

Prodiit tandem *in dias luminis auras* ille *Burmanniani* ingenii partus, cui faventem Lucinam adhuc precatus ſum, quem avide exſpectavi, quem advenientem ad me non ſolum lubenter excepi, ſed etiam, ut filiolum bel-

belliſſimum patris pulchelli, fere ſum exoſculatus. De libro ipſo non opus eſt ut Tibi multa dicam. Simillimum eum eſſe dico reliquis, quos iſte edidit, libellis. Facile agnoſcas patrem, ſi etiam nomen deſit in fronte: patrem, cui iſte theſaurus in lingua poſitus eſt, ut quaeſtui habeat, male loqui melioribus.

Illud vero non iniucundum Tibi forſitan erit cognoſcere, me mirificum in hac re conſilium cepiſſe, quodque Tu a Klotzio Tuo vix exſpectaveris. In ſcenam, inquis, adverſarium tuum produces, quod iam minatus es, aut itenum exequias illi duces? Mehercle! non faciam, mi *Harleſi*. Acerbius illius temeritatem ulciſcari. atrocius ſupplicii genus inveni. Quid igitur ages? tacebo. Miraris et frontem corrugas? ita eſt profecto: tacebo. ſtat ſententia. non muto animum. Sed lubet, quoniam et otium nunc mihi eſt, et nihil ſuavius, quam Tecum colloqui per litteras, quando coram nondum licet, paullo copioſius conſilii mei rationem exponere. Primum igitur eo ſcribendi genere uſum eſſe dico *Burmannum*, quod noſtrae aetatis elegantiam noſtrarumque litterarum humanitatem omnino non deceat. quanquam quid de humanitate loquor, cuius ille ne umbram quidem vidit? Non indignarer profecto, ſi facete et urbane rem egiſſet, ſi iocis non illiberalibus me pupugiſſet. immo faverem hominis ingenio. Iam vero quid aliud protu-

lit, niſi foediſſimorum verborum turbam, allium, hircum, haram, ſuem, canem, capram olentem, ut eſt apud poetam? Nec habet plus ſapientiae, quam lapis. Egone autem hanc aſperitatem conviciorum, hanc acerbitatem ſermonis, hanc triſtitiam orationis imiter? Omnibus, qui non plane ab humanitate abhorrent, moleſtus forem. Et quam putas me meae naturae vim allaturum eſſe? Non pudet profiteri, me hac parte ab adverſario meo vinci et ſuperari.

Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Quae enim iſte convicia evomuit! quas ſordes verborum! quam turpi oratione honeſtas aures offendit! O mi *Burmanne*, cogitabam ſaepe illa legens,

Tui quidem edepol omnis mores ad venuſtatem valent
Cedo treis mihi homines aurichalco contra cum iſtis moribus.

Deinde ea contra me impuro impuro dixit, quae omnes, qui res meas non plane ignorant, irridebunt. Quid enim multis doceam, me non ob Satyras quasdam Lipſia abire coactum eſſe, quod *Burmannus*, neſcio quo auctore, aliquoties dixit? cum tamen ipſi Lipſienſes in Novis litterariis me *multa cum laude* in ea urbe vixiſſe profeſſi ſint paullo poſt abitum meum. aut quid oſtendam, minime

me

me pretio adductum optimum virum, *Saxium* defendiſſe, quem longe ante amavi, quam Herculis Amſtelaedamenſis nomen fando accepi. Ipſe iudicabis, utrum cadat talis ſuſpicio in animum meum, an plane a vita moribusque meis abhorreat. Sed taedet de eiusmodi criminibus, quibus ne inimici quidem mei fidem habebunt, multa verba facere. Porro collegit ille e carminibus meis operarum errores, quorum alii iam a me indicati ſunt in Actis vernaculis: *Critiſche und zuverläſſige Nachrichten.* alii omnino non debebant proferri, ſi *Burmannus* viri gravis perſonam ſuſtinere vellet. Quare neque video, quid bono viro reſpondeam? aut quomodo? Vereor enim, ne alii operam noſtram, quam ille in conquirendis, ego in defendendis peccatis typographi, uterque in rebus tenuiſſimis, ponamus, irrideant, quosque minime vituperare audeo. Quare mitto illa παιδαριώδη καυχήματα. Vellem tamen, ut ipſe *Burmannus* paullo maiorem in ſcribendo diligentiam adhibuiſſet, caviſſetque melius ea, quae pueris etiam riſum movebunt. Qualia enim Tibi videntur iſta: p. 80. IN *tantum poetam evaſit:* p. 14. *inſultum hunc: ſuperciliofe: ſufflaminare:* p. 18. *ab initio ſtructurarum ſuarum:* p. 42. *falſitates:* in praef. *foetum abortivum ſtrangulare neque luci exponere:* p. 28. *exagitationibus futilibus:* p. 42. *typothetis extra morem induſtriis:* p. 52. *con-*

dendis peioris adhuc monetae verſibus natus: p. 54. *verſus ex poetica officina ſua Actis inſerere:* p. 58. *mores veram inclareſcendi et ad fortunam meritis patentem perveniendi viam ipſi occludent:* p. 3. *tela in me coniecta ex proprio tuo armario in caput tuum retorquere:* p. 5. *licet ruborem illum in meam detorqueat invidiam.* Mitto centum alia. E carminibus duo tantum dabo. *Cacoque furacior ipſo* canit ſuaviſſimus poeta, licet prima ſyllaba in *furacior* producenda ſit: quibus adde iam notata a me: *Et pharetra ex humeris pendere ſueta? iacent,* atque

Quo vivo exarſit moriente flagrat &c.

et alio loco: *Publica quod privis praeponere commoda mallent.* —— *Quam Domino faſces ſubmittere* VELLE *potenti.*

Vides mihi non deeſſe, quae regerere poſſem, ſi luberet. Et quid, ſi ex innumeris foediſſimisque peccatis Grammaticis pauca, quoniam chartula, in qua illa notavi, ad manum nunc eſt, tecum communicem, quid dices? Miraberis hominis ſtuporem. Arrige igitur aures.

Aures, oculi, animus ampliter fient ſaturi.

† *Quum nullis clandeſtinis artibus in reginae aulam* INREPSERAT, *ſed ſola nominis celebritate et litterarum ſtudiis favorem eximiae Principis ſibi* CONCILIASSET. in Comment. de vita Heinſii, p. 16.

† *pa-*

† *patriam virorum magnorum noſcere quanti interſit hiſtoriae litterariae ſcrip*TORIBVS *nemo ignorat.* Antikl. p. 95.

† DE *aliis* SIBI *dominis circumſpicere coepit.* Vit. p. 36.

† *hanc ſingularem Gaudentii comitatem et praeclarum de* EO (pro ſe) *demerendo ſtudium praedicat grato animo Heinſius.* ib. p. 7.

† *aliquot annis* PRAEDAM SE ESSE *vulturibus et hirudinibus togatis* PRAETVLIT, *quam non* VICTOR *de Fortunae iniquitate triumphare.* ib. p. 39.

† *id autem eo gravius ferendum eſt, quia multa ipſi* PERIERINT *ſcrinia.* ib. p. 51. *ut in praef. ad Valeſ. Em. ſubplere et compenſare ut poſſit, non vano augurio ominamur.* et ib. *ut forte aliquando ſe hoc theſauro ditatam viſura ſit poſteritas, augurari datur.* & *Hoc autem ut conſequar certiſſima ſpes me fovet.*

† *Licet corporis robur et mentis integrae vigor bene ominari nobis ſpem darent.* in praef.

† *ingenium in eo elucefcebat vividum.* vid. Voſſ. de Vit. Serm. I. 23.

† *quem communicatum Broukhuſio fuiſſe opinor:* ib. v. Gronov. Obſ. II, 6.

† *Inter* —— *viros, qui Ariſtophanem, ſcenae Atticae principem emendandum aut illuſtrandum ſuſceperunt,* NEMINEM *hactenus repertum fuiſſe* QVI *ſingulas et omnes ex antiquitatis naufragio nobis ſuperſtites eius comoe-*

 dias

dias perpetuis animadverſionibus ſuis aut notis EXPOSVERVNT, *mirari certe licet.* praef. ad Ariſtoph. p. 1.

† *Quid de hoc opere Bergleriano ſperandum fuiſſet indicat, quum — emendaverit — contulerit — enotaverit Berglerus.*

† *quem ut paedagogum traducere, et qui nihil aliud* LEGERAT *aut* SCIRET *praeter Ammianum Mar. — iactare auſus fuerat.* praef. Valeſ. Emend.

† *erit, quod labori ac curae iis impenſae mihi gratuler.*

† *ut donare* VELLET *hortatur* eum: ib.

† et paullo poſt: *ut edere vellet, valde eum hortatur.* ſed ſic ſolet ſaepe. ut Vit. Heinſii p. 39. *fieri vix potuit ut ſervaverit.* p. 41. *ut agnoſceret et uteretur, optat.* p. 6. non potuerunt. — *ut fuerit.* p. 7. *adduxit, ut iacuerit.*

† *Haec iubet Iſaacum Voſſium, doctis ſuis clientibus iam mancipatum,* HEINSIO *exarare epiſtolam.* Ib. p. 14.

† *Certe Brukhuſiani hi commentarii quemadmodum a peritiſſime nec imae caveae iudice Ez. Spanhemio in — a praec*LARIS *cultiſſimae eruditionis perpoliti ingenii et ſingularis plane induſtriae limatique iudicii* VIRTVTE *commendantur.* p. 23. praef. ad Lotich.

† *car-*

† *carmina non omnia tamen a Lotichio ipſo ubique ultimam manum emendatricem ſubiiſſe.* Ib. p. 27.

† *Vtinam Scaligeri deſiderio* OBSEQVI *et plurimorum iſtius temporis doctorum hortatu commoveri ſe ad promiſſa haec ſolvenda* PASSVS FVISSET *Caſaubonus!* Ib.

† *quoniam* —— *conſilium illud ſuum* abiECERIT, —— *nobis de eo ita ut par eſt iudicare integrum non eſt.* Ib. ut in Ariſt. praef. p. 12.

† *Quod autem Aelianus* hic *dic*AT *eo ſpectat.* in not. p. 128. ut in praef. ad Ariſt. p. 27. *Quod exiſtim*ET *Berglerus* —— *in dubium vocari poſſit.*

Habes indicem peccatorum, quae pueri alapis luunt. nunc dabo alterum ſoloeciſmorum et barbariſmorum. quanquam multo potuiſſem plura notare peccata, ſi orationes *Burmanni* haec ſcribenti ad manum fuiſſent.

Vit. Heinſ. p. 9. litterariae Italicae peregrinationis ſpolia.

p. 11. dum in laudes deliciarum Romanarum fervore ingenii et venae luxuriantis torrente abripitur, plus aequo ſaepe peregrinum et in Batavos ſuos ac ſoli natalis genium non raro iniquiorem prodidiſſe animum.

p. 12.

p. 12. dum ſtyli cultioris et calami luxuriantis laſciviae animus indulget.

ib. autumno huius anni tempore. *quanquam pro autumnali hoc verbum poni vel Lexica teſtantur. ſed huius formulae alia ratio.*

p. 13. id operam dedit, ut —— Gronovio ſtationem Hiſtoriarum et Eloquentiae in Academia Leidenſi tunc vacantem adſereret.

p. 14. haec poemata delicatis magnae principis auribus, ſic ut par erat, reſponderunt.

Ib. Chriſtina luculentis litteris Danielem compellavit Heinſium, petiitque, ut filium eius ingens aulae ſuae ornamentum ſibi vindicare pateretur.

p. 15. ut ad lares in Sueviam transferendos ſarcinas ſuas conligeret, quibus convaſatis &c.

Ib. profuſae eruditionis vir. *ut Dominus Petrullus olim profuſi ſtomachi.*

Ib. funebri parentatione laudare.

p. 20. talem itineris comitem adſumere litteris deprecatus a regina eſt Heinſius.

p. 24. peregrinationis Italicae curſum producere.

27. cum panegyricis et encomiaſticis carminibus operis veſtibulum ornantibus.

p. 31. Salutationibus officioſis aliquem inviſere.

32. ſupinitas. *quanquam locum Quintiliani, ubi verbum occurrit, novi.*

33. amicitiam alicuius magno ambitionis adparatu captare.

96. haec epiſtola omnibus, qui contemplari amant, (*v. Cellar. Antib. p. 256.*) cum cura legi meretur.

35. ob aerarii indignis modis diſcerpti anguſtias.

36. frequentioribus litteris Chriſtinae gratiam ſartam tectamque conſervare.

79. dum inexplicabili litium harum labyrintho incluſus haeret.

44. ſacrorum puriorum vadimonium deſerere. p. 54. dente livido manes Heinſii arroſit.

p. 1. fata —— chartis conſignata in publicum producere, et in exemplum imitationis proponere.

p. 2. merita, quibus victuro aeternitatis peplo nomen ſuum inſeruit ac perennavit. ut et in dedic. animi propenſiſſimi affectum ſi erga me porro perennare non dedignemini. *Poteratne monachus aliter?*

Ib.

Ib. fata viri inluſtris propius inſpexerat, atque in numerato habebat.

p. 5. duce naturae genio ad poeſin factus erat.

p. 6. homo cupediis poeticis innutritus.

p. 7. vita ſedentaria. Ib. ſoluta ac ligatae ſcriptionis facultas promtiſſima. bibliothecis plus aequo incumbere.

In praef. Poſtquam litteris politioribus obſcurum in initio emicuit crepuſculum ex ſqualido illo barbariei veterno marcidum caput extollere quidem auſi fuerant, viri, ſed qui venturi tamen aevi nepotibus facem, quamtumvis tremulam tumidamque praetulerunt. Ib. viri eruditionis dote laudatiſſimi. Ib. Itaque dum illorum potiundi dabitur occaſio, contenti ſimus interim hoc Catone. (*loquitur de Epicediis in mortem Heinſii*). Ib. nullis eruditionis frugibus nutriti, ſed non niſi glande anilis ac ſuperſtitioſae doctrinae paſti, quicquid ex veterum elegantiarum poetarumque fontibus inbibendum iuventuti propinatur, ut meram ſpurcitiem ac turpitudinum colluviem lacerare non erubeſcunt.

Praefat. ad Lotich. p. 2. ſed nec ſuccedaneam laudem et ſuo tempore ubique regerminantis laureae adoream novis ingeniis quoque maligne denegemus. Ib. poſt reſuſcitatas e tumulis Gothicis veterum elegantias.

tias. p. 5. *de poeta:* incomparabilis venae de perenni fonte fluentis fertilitas. p. 6. quam quidem imitationis varietatem et, ut ita dicam, artificii mixturam paucos felicius Lotichio alternaſſe —— manifeſtum eſt. p. 8. horum fragmenta apud Athenaeum ſparſa vagantur. carmina Calvi longi temporis ſitus obduxit. 9. collocare amat. 15. optime etiam tali pentametro utitur, ubi Tibullum circumſcribit, nomine eius non expreſſo. 16. neminem tam inſubidi et averſi a veris Muſarum deliciis palati futurum. 21. ſi primum illum ſpiritus poetici calorem temperet, ac moderetur limae ſeverioris cura. 23. ad delicias poeticas plurimorum palatum obbrutuit. p. 30. vix annum aetatis trigeſimum ſecundum praetergreſſus. p. 32. licet aliarum ſcentiarum ac diſciplinarum cultoribus ſuus nunquam fraudandus ſit honor.

Praefat. ad Valeſ. Emend. propriis ingeniis foetibus producendis quotidie incumbens. vulgaris genii captum longe ſupergreſſa eruditionis Valeſianae λείψανα oblivioſo tenebrarum ſitu interire, haud paſſi ſumus. ſcripta abortiva. orationes alibi ſparſim errantes. in not. p. 84. rationes ficulneae. 171. ex profeſſo peculiari diſſertatione de aliqua re agere. 232. Foediſſima plebeiorum ſcommatum cloaca. (*id eſt. Petrus Burmannus Secundus, Baro Santhor-*

borſtianus) in adp. p. 34. quod carmen inter optimas Heinſii elegias agmen ducit. 44. Salmaſii calumnias a manibus Viri maximi non depellit —— et veluti in triumphum circumducit. p. 45. quod hac in re copioſius forte exſpatiatus ſum.

Praefat. ad Claudian. 19. editionem publicis orbis eruditi uſibus exponere. averſabatur morbum illum cacoethes Critices inſanabilem. Praefat. ad Ariſtoph. 1. comoedias Latino idiomate redditas. 2. editionem publico orbis eruditi theatro ſiſtere. 9. recentata editio. 11. editio Farreana tam preſſo pede inſiſtit veſtigiis editionis —— 10. ſi liberalitate illa principis ineſcatus hamata aurearum compedum catena ſe in Valachiam elici non paſſus fuiſſet. 12. dictio pravo filo decurrens. 13. Ariſtophanem numeris metricis refuderunt. 17. non tantum demonſtrant, quam quidem commovent. p. 14. ut - non adeo exprimeret, quam quidem ſuperaret.

Quoniam autem ſemel indices conficere coepi, addam tertium eorum, quos modo lenius, modo atrocius, laceſſivit iugulavitque iſte PYRGOPOLINICES BOMBO MACHIDES CLVNINSTARIDYSARCHIDES. ſunt vero hi:

Marklandus. in praef. Virg.
Petrus Bourdelotius. Vit. Heinſ. p. 33.
Iacobus Gronovius. ib. p. 54. in praef. Claud. p. 25.

Leo

Leo Allatius. p. 8.
Peraltus et Bohurſius. praef. ad Lotich. p. 2.
Lernutius, Acidalius, Victor Giſelinus, Gruterus, Gulielmius. p. 7.
Io. Petrus Lotichius, nepos Petri Lot. p. 16.
Gottlieb Stolle, in not. p. 15. et in praef. ad Valeſ. Em.
Kirchmannus. p. 138.
Io. Herm. Bennerus. p. 415.
- - Reitzius. p. 661.
Editor reliquiarum Scriverii in praef. ad Valeſ. Emend.
Lamp. Alardus. in not. ad Valeſ. p. 24.
Io. Cornel. Paw. p. 232. et in praef. Ariſtoph. p. 5.
Marville, ſ. Bonaventure d'Argonne, in adp. p. 29.
Petavius. p. 40.
Salmaſius. p. 44.
Caſp. Barthius ad Eleg. de Phoen. p. 1036. et in praef. Claud. p. 22. in Antikl. p. 93. et 10. ſeq.
Steph. Claverius praef. ad Claudian. p. 6.
Thomas Demſterus. p. 11.
Pitiſcus, Thyſius, Schrevelius, Cnippingus. p. 18.
Nic. Biſſius. p. 23.
Petrus Francius. p. 30.
Io. Henr. Maius. praef. Ariſtoph. p. 5.

Everard. Otto in Anth. p. 312. in Antikl. p. 15. ſequ.

Io. Clericus in Anthol. p. 252. et 287. in Antikl. p. 18. ſequ.

Reiskius, (auctor cenſurae ſpeciminis in Act. Er.) p. 74. 76. 77. 358. in Antikl. p. 13.

Io Caſp. Schroederus, in Antikl. p. 87.

Weſterhovius p. 110.

Gundlingius p. 114.

AVCTOR recenſionis Livii Drakenborchiani in *Actis Lipſ.* p. 13. cui *inſignem malignitatem* h. l. tribuit et quem tamen in Dedic. ſcribit: "*Actis his conſcribendis longe melioribus auſpiciis principes operas collocare ſolere.*

Matthaeus *Lagius* p. 15.

Auctor Chreſtomathiae Petronio —— Burmannianae p. 21.

Ohe! iam ſatis eſt. Quis neget

Pyrgopolinicem hunc unum in terra vivere
Virtute et forma et factis invictiſſimum?

Quid prohibet, quominus acclamemus *Io triumphe!* et clamemus iterum *Io triumphe!* Nihil dicam de Satyris, quibus celſiſſimam domum Auriacam, ipſorum Amſtelaedamenſium procerum unum alterumve, totque alios bonos et doctos viros laceſſivit. Quid ego haec mirer? " Novi enim Burmannum, cum inſolentius ſe vino ingurgitaſſet, repente ex „ho-

„homine factum eſſe porcum, ſuoque impuro „ore, quae devoraverat, coram illuſtriſſimo „Principe Gubernatore, obſtupeſcentibus eius „Palatinis, evomuiſſe, honorificentiſſimo „PECVDIS titulo eo tempore eamque ob cau„ſam ornatum. quo quid poteſt turpius co„gitari dicique?" Sed nolo copioſius impudentiam hominis commemorare. Illud operam dabo, ut intelligas, mendaciſſimum eſſe eundem hominem: de me mentitum egregie: dignum omnium bonorum odio. Hoc, hoc ludimagiſtro Santhorſtiano.

Nihil eſt profecto ſtultius neque ſtolidius
Neque mendaciloquius neque argutum magis
Neque confidentiloquius, neque periurius.

Quod ne temere dixiſſe videar, exhibebo

INDICEM ATRVM
MENDACIORVM P. BVRMANNI SECVNDI DE KLOTZIO.

I. p. 21. mentitur me in *Actis Erud. Lipſ. a. 1748. p. 123.* meritis Patrui ſui detrahere conatum eſſe. Nempe tum circiter undecim annos natus, vix nomen *Actorum* audivi.

II. p. 8. tribuit mihi cenſuram orationis Cl. Saxii in *Actis. a. 1761. p. 384.* Vivit vero, et vivat opto diu feliciter! illuſtris *Belius*, qui *Actorum* curam habet, et

 falſo

falſo hanc cenſuram mihi tribui, omnium optime novit.

III. p. 39. me Dorvilli commentarium in Charitonem male vituperaſſe lectoribus perſuadere cupit. Ego haec ſcripſeram: *Legi Dorvillii animadverſiones et gaudeo me legiſſe. Multa me ex iis didiciſſe gratus fateor.* (haec omiſit. quae ſequuntur attulit.) *Sed dic ſodes, ſi ea reſcindas, quae ad Manethonem, ad veterum epigrammatum anthologiam, ad alios ſcriptores pertinent, ſi ea tantummodo colligas, quae Charitonem illuſtrant, o quantam ad maciem pingue hoc corpus redigetur! Sex octove plagulas habebis. iam habemus volumen.* (ſequentia iterum omittit.) *At ſunt doctae, ſunt bonae frugis plenae hae animadverſiones. ſed nunc non erat his locus.*

IV. mentitur paſſim in libro, me initium feciſſe rixarum. Ipſe fecit, quod ob cenſuram Onomaſtici Cl. Saxii *mulum mulum fricuiſſe* pro elegantia ſua dixerat. Ego tamen in ea nullam Burmanni mentionem feceram.

V. p. 25. ignorantiam meam Latini ſermonis oſtendere eo conatur, quod *celare* cum caſu tertio reprehenderim, et, ut eſt facetus, me ad lexica demittit. Vbi hoc dixi? ubi? in *Antib. p. 40.*

at

at ibi legitur: *Novi quidem defendi plurima poſſe auctoritate antiquiſſimorum ſcriptorum, ſed perſuaſi mihi certiſſime, Burmannum illa ſcribentem non magis cogitaſſe locum aliquem Ennii aut Pacuvii, quam in epiſt. ad Fratr. p. 12.* licet omnem rei hiſtoriam EI ab initio caute celatam optaſſet, *in animo habuiſſe obſervationem aliquam Grammaticam.*

VI. p. 89. inquit, me comparaſſe faſciculum carminum cum aulaeis verſicoloribus et veſte varia mimi. Falſo. dixeram in *Eleg. p. 24* in Satyris tot hominum tamque varia ingenia et vitia picta eſſe, ut vix mimi veſtis tam varia ſit. &c. *Eſt facies hominum plurima picta mihi.*

VII. p. 92. calumniatur, me cum Alexandro et Achille me ſerio comparaſſe &c. in El. p. 25. iocoſe ſcripſeram: poetam qui carmina ſua in ignem coniiciat maiorem eſſe Alexandro et Achille.

VIII. p. 40. dicit me fortitudinem meam iactare, et loco malitioſe excerpto hoc oſtendere cupit. Ille locus (nam ipſe ſilet) eſt p. 78. in libello *de minutiarum ſtudio.* quem ſi quis evolvat, improbum mendacium ſtatim cognoſcet.

IX. p. 117. eandem cantilenam repetit, et mendacio veritatis ſpeciem conciliare ſtudet verſu hoc ex *Opuſc. Poet. p. 67.*

Non adeo timidum fautrix natura creavit. Sed, qui Satyram ipſam legerint, videbunt, me dixiſſe : plurimos nefas cenſere Satyras ſcribere: me tamen illis non obſecutum eſſe: *non me riſiſſe negabo. Non adeo —— creavit. Sed me ſponte mea voluiſſe laceſſere quenquam —— nego.*

X. p. 57. dicit, me adfirmare ipſum, me a natura factum eſſe et compoſitum ad maledicendum, nec mihi unquam felicius ſuccedere carmen, quam ubi aliquem reprehendam. Nempe Rabenerum noſtrum imitatus, qui rythmum ſimili modo accuſat, in *opuſc. p. 66.* iocoſe dixeram, ipſum verſum reclamare ſi laudare aliquem velim, nec admittere verba *Philoſophus, eruditus, Iuriſconſultus:* unde haec: *Nonne tuus verbis et metro Klotzius ergo Ducitur, ut nervis alienis mobile lignum?*

XI. p. 21. me clamat SAEPIVS in *Antiburm.* omni pudore poſthabito patruo ſuo inſultare, idque auctoritate Pavonis et Chreſtomathiae Petronianae auctoris. hoc ſemel feci p. 42. *Vellemus tamen obieciſſet noſter conſilium*, Graecam *eruditionem oſtentandi. Non ignoravit, quam infeliciter haec res ceſſerit Patruo ſuo, de quo in Chreſtomathia Petroniana, in Pavonis animadverſionibus in Theophraſtum et alibi multa*

multa iucunda leguntur. An vero mentitus ſum? hac certe in re illi verum viderunt.

XII. p. 11. me Io. Frid. Gronovium inter Batavos repoſuiſſe inquit. Quomodo ſcripſi in Antib. p. 29? *Adſcribamus vero laudes, quibus ipſi Batavi, iique viri doctiſſimi Barthium affecerunt. Edidit nuper Vellerus Danielis Heinſii et Io. Fried. Gronovii ad Barthium literas, in quibus hi noſtrum ſummis laudibus efferunt.*

XIII. p. 28. lectoribus perſuadere cupit me neſcire, quot pedibus conſtet Hexameter Graecus. nam me ſcripſiſſe, ̓ου πώποτ̓ ἐμὰς &c. Locus eſt in *Antib. p. 5. Nihil unquam cum Burmanno negotii habui: nunquam vidi hominem: ater an albus ſit neſcio.* ̓ου πώποτ̓ ἐμὰς βῦς ἤλασεν, οὐδὲ μὲν ἵππυς - ἐπειὴ μάλα &c. Quis non videt me verſum Homericum Il. Α. 154. rei praeſenti accommodaſſe, et, ſicut ἤλασαν in ἤλασεν mutatum, ita etiam γὰρ omiſiſſe, οὐ γὰρ πώπ. quod hic locum habere non poterat. Pari modo etiam ex altero verſu ea tantum attuli, quae apta iudicabam. Ipſe cenſor ſcripſit bis ἤλασεν, quod eſt notandum.

XIV. p. 38. me Lipſium, Ioſ. Scaligerum, Nic. Heinſium, Bentleium in Criticos quarta luna natos repoſuiſſe mentitur. ubi

hoc feci? edat locum: indicet librum.

XV. ubi unquam pentametrum ſcripſi, cuius exitum faciat monoſyllabum? calumniator tamen p. 119. verſum *mellea baſia dic* eſſe dicit plane ad Klotzianum genium.

XVI. ubi queſtus ſum, me miſere algere et eſurire cogi? quod iſte p. 105. mentitur.

XVII. falſo edidit p. 93. *Ac tuam amicitiam ſemper retinebo Ziglere.* in El. p. 48. clare ſcriptum eſt: *Zigere.* ebriusne fuit igitur an coecus?

XVIII. falſo edit diſtichon p. 86. *Tu lacrimas noſtras (acceptas pectore fido Proveniunt lacrimae,) grataque carmina habe.* In El. p. 48. editum eſt - *acceptas (pectore* &c.

XIX. maligne p. 87. ubi earundem vocum nimis anguſto ſpatio factam repetitionem vituperat, totum diſtichon in *op. p. 75. Hoc gemitu* &c. quo interpoſito omnino vituperatio tollitur, omittit.

XX. p. 117. mentitur me ſcripſiſſe: *lumina noſtra duo*, ne quis me unoculum putet. ſcripſi in El. p. 26. *Mens meminiſſe horret, quales heu! quotque per annos Libri vexarint* (non *vexarunt*, ut edidit) *lumina noſtra duo.* quis τὸ *duo* ad annos referendum eſſe non videt?

XXI.

XXI. p. 111. inter peccata metrica refert verſum: *Gratum lenimen:* etſi ipſe legit: me ſcripſiſſé in *praef. p. II. error typographicus: Gratum lenimen corrigendus eſt ſic: gratum levamen.*

XXII. me furti aliquoties accuſare tentat. nam p. 123. *duo priores*, inquit, *pentametri verſus poetae a genio Klotziano diverſi manum prae ſe ferre videntur.* p. 125. et p. 112. verſum *alibi lectum* dicit, quemadmodum etiam, dum p. 70. emendationem aliquam probare cogitur, *ſive illius auctor ſit Klotzius, aut alius quiſpiam* addit. Nempe *dolebat*

Et ſi non aliqua nocuiſſet mortuus eſſet.

Non prius Burmannum mendacem cenſere deſinam, quam librum unde haec ſumſerim, indicaverit.

Vides me recte dixiſſe, mendaciſſimum eſſe hominem Burmannum?

Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam,
Qui arguet ſe, eum contra vincet iureiurando ſuo.
Domi habet animum falſiloquum falſificum falſiiurium, Domi dolos.

Potuiſſem vero hunc indicem valde augere, ſi lubuiſſet. Nam mendaciolum aliquod in quavis fere plagula apparet. Sic p. 37 ſe *luſiſſe nonnunquam agnoſcit, in ridiculos quosdam Marſyas liberiore calamo:* ſe tamen nunquam in viros illuſtres et doctos aliquid inclementius ſcripſiſſe, eodemque loco valde indignatur, me audaciſſimum hominem Satyras ſcripſiſſe. Non igitur ad doctos *Marklandum,* cui proterve ſatis et petulanter inſultat, ad illuſtres *Caſpar. Burmannum* refert? quem ipſum patruelem ſuum duobus procaciſſimis Epigrammatibus ſugillavit, quorum principia duntaxat dabo: *Haec eſt alterius* &c. et: *Splendet in Auriaca praeluſtris veſte Senator* &c. Et, amabo Te,

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Noſtin' eundem hunc eſſe hominem qui *Philalethes Batavus* (dignior profecto *Philonizis Belluae, Philalazonis Beſtiarii, Philoeni Balatronis* nominibus) vocari voluit? qui illuſtriſſimam domum Auriacam toties laceſſivit? e a quo in lucem editi ſunt famoſi libelli complures, ut:

Sapientia Hyperborealis
Epiſtola Charlottae Amaliae,
Inſcriptio nova in Tabula nigra, ſed cum litteris aureis ſcripta Amſterdami ſuper camino aedis ex ſuo ipſius peculio reſtaurata nunc primum in lucem data com-

commento amplo et neceſſario illuminata et contra reprobrationes cavilliſticas defenſata per Gottfridum olim monachum S. Pantaleonis Veneti Magiſtrum Baccalaureum. Stampatum in Haga. 1758.

Epiſtola ad Fratrem Theologum.

Nonne mirus homo eſt Petrullus noſter, qui ſibi ſoli maledicere, reliquis ne ridere quidem licere putet? Sed ita ſolet, quae ipſe facit, iuſta putare. Indignatur p. 38. me Salmaſium *immodeſtum Criticum et inhumanitatis magiſtrum* appellaſſe. Ipſe vero in *adp. Valeſ. Emend. p. 44.* inquit: *Salmaſius nimia alios exagitandi acerbitate ſaepe in transverſa actus — ſtylus acerrimus, ſed a Salmaſii indole non alienus. —— Salmaſii calumnias ——* Quid? num ille ideo, quia Santhorſtiani Baronis titulo ſuperbit, ſe ſolum libere ſententiam ſuam dicere poſſe exiſtimat? Vereor profecto, ne omnes irrideant hominis faſtum qui iam olim tenui viſitatoris Gymnaſii Amſtelaedamenſis iure perridicule abuſus minorum gentium magiſtro lepidas poenas dedit. Porro p. 88. male in Elegiaco carmine a me poſitum eſſe dicit verbum Graecum *Stromata*, et ipſe *in Dorvill. Epiced.* id eſt, in Elegiaco carmine: *per te Graecorum collecta* Epigrammata *vatum: ſeu quae ſemirutis inſcripta* Epigrammata *buſtis.* Denique p. 99. aegre fert me dixiſſe: *Tunc iterum* ſanum *me dulcis Lipſia habebit.* Fateor non

non optime haec dicta, ſed peius ipſe cenſor in *orat. in Dorvill. p. 19 poſtquam cum ſanitate in gratiam rediiſſet.* Inprimis vero ridicula mihi viſa eſt *Elegia Centonaria*, quam adtexuit, conſuta illa mendaciis, calumniis, ſcurrilibus iocis. quae omnia nec enarrare ne poſſum ſilentio praeterire. Primum reprehendit, quae omnino non debebat, quaeque optimorum ſcriptorum auctoritate confirmantur. Sic clamitat p. 93. me prave corripuiſſe ultimam in *putŏ, retinebŏ, tranſeŏ* &c. quod tamen ipſe ad *Lotich. p. 238.* a bonis poetis factum eſſe docet, multisque probat Iohnſon in *Ariſtarch. Antibentleian. p. 75. P. II.* Etſi ipſe ibidem p. 159. dixerit, *quandŏ* corripi a Statio *Theb. VIII. 248.* et Valer. Flacco *VIII, 213.* etſi ſic ſaepe Martialis, me tamen p. 94. reprehendit. Non fert, p. 123. me *eheu!* dixiſſe: verbum Latinum non eſſe: dicendum eſſe *heu! heu!* At licet bene novi, quae Burmannus I. ad *Virg. Ecl. II, 58.* notavit, idem tamen novi multos libros cum ſcriptos tum impreſſos exhibere *eheu!* confer *Drakenborch. ad Sil. XI, 212.* P. 90. me reprehendit, quod vocem nimis humilem *eorum* et *eius* uſurpaverim. Primum uſurpavi in Satyra, quae prope abeſt a Sermone pedeſtri: deinde poſui adductus auctoritate Tibulli I, 7. Propertii, *IV, 6.* Horatiique III, 11. *Muniant angues caput*

put eius. vid. Burm. ad *Ov. Met. VIII, 16. et Gratii Cyneget. 224.* tum bonorum codicum lectiones ſequi, quam acumen Bentleii malui, qui huius obſervationis auctor eſt. Quam ſine cauſa vituperat p. 115. verſum: *Et mala mortales quae ſibi cunque creant* licet Virgil. *Aen. I, 614. Quae me cunque vocant terrae* et Horatius: *Quem criminoſis cunque voles modum pones iambis, dixerit:* p. 92. verbum *impetuoſus*, quod Plinii optimi libri exhibent, quemadmodum *impetuoſe* etiam occurrit: p. 98. verbum *nexiſti*, quod et Priſcianus loco Lucilii, *X, 903.* et Brukhuſius ad *Propert. III, 6, 37.* tuetur: p. 97. ultimam in *ergo* correptam, etſi non ignoravit, recte ſcripſiſſe Hoogſtratanum ad *Lotich. p. 12. plerique, qui poſt* AVGVSTI *aetatem ſcripſere, ultimam in ergo corripuere:* p. 94. verbum *thronus*, quo Plinius utitur: p. 97. *melliſluus*, quod Avieno et Boethio placuit: p. 99. *divus* pro *divinus*, quod plurimi recentiores non averſati (v. *Cellar. Cur. Poſter. p. 293.*) p. 97. *heu!* in fine verſus Sapphici etſi Horatius: *Sed palam captis gravis heu! nefas heu!* p. 106. *rupes praeruptaque ſaxa*, etſi Ovid. *Rem. Am. 179. Ecce petunt rupes praeruptaque ſaxa capellae*: cui Ovidio elegantiores aures fuiſſe puto, quam Burmanno. Tum cur p. 115. clamitat, male deſinere pentametrum in ſyllabam brevem neutro plurali, ut *pellere corde mala?* addit tamen: *apud*

apud Ovidium tamen, praeſertim in Triſtibus id non infrequens. Cur igitur, ſtultiſſime Grammatice, me accuſas? Huic ſtultitiae ſimile exemplum edit p. 122. ubi non poni debere *queo* in Elegia: p. 90. ubi ſecundam in *Gronovius* non producendam eſſe: p. 117. ubi non dici poſſe inquit: *roſtra ſporſa eſſe cruore Ciceronis.* Docti viri ſciunt memoriae proditum eſſe: *caput Ciceronis inter duas manus in roſtris poſitum fuiſſe.* Verſum: *quidve bonum rectum quid turpe docens quid honeſtum* (p. 105.) et finem hexametri: *ſapientiam ab ore* (p. 120.) multis exemplis defendere poſſem, ſi opus eſſet, (ipſe: Iamque paludoſa frontem male conſite ab ulva) quemadmodum primam in *propitius* producunt Prudentius et Iuvencus: (p. 110.) ultimam in *facile* Ovidius (p. 118.) verbo *bicce* (p. 115.) Terentius et Cicero utuntur: et rythmum in hexametro neque optimi poetae evitaverunt: (p. 87.) docente hoc Barthio ad *Stat. Theb. II, 239.* ipſoque temulento Critico ad *Loticb. p. 494. et 93.* Neque cauſam video, cur vituperet p. 85. *ſummum patriae ornamentum*: (ipſe cecinit: *Pauſilypus gemuit et ſqualida Mergilline*) cur p. 961. *quando Dreſdam repetes Saxoniamque tuam?* (quaſi aliquis nequeat in Saxoniam redire, quin Dreſdam redeat) cur p. 88. *cuique dedit felix adeo natura cerebrum*, quod expreſſum ex Horat. *Serm. I, 9. 11. O te Balane cerebri felicem.* cur p. 86. *Ger-*

Germania, qua cultior. Nep. V, 2. *Arx, qua ad meridiem vergit* et ſic ſaepe alii. ipſe cenſor: *Doctus et in lacrimas qua patet orbis eat.*) cur p. 88. *adferte flores, purpureas roſas* (quaſi non liceat explicare uberius, quod antea generali nomine dictum) cur p. 85. *ſpes pia, civium amor* (quo modo multi verſus Catulli et Propertii deſinunt): cur p. 108. *tellurem et littora tangat.* nam prius littus tangi quam tellurem. ego puto eodem tempore, quo navibus egrediantur et littus tangant nautae, tangere quoque eosdem terram, et licere unam rem duobus verbis poetis exprimere. Si illius aures offenderunt p. 102. verſus: *Atque ubi quas princeps auguſtas reddidit aedes.* et p. 99. *Tunc cineri paucas lacrimas donate ſodales.* et p. 121. *Noſtra deo o utinam* &c. cur ipſe ſcripſit: *Fallimur? an nutu mea dicta probatis amico. Qui deleta animis haec benefacta neget: ſeu Latii adtonitam te carminis arte tenerent: Dorvilliisque tuis veteris praeconia famae: Dorvilli citharam toties mirate canoram. Deſine* de *lauri cingere fronde comas. Francius Auſoniae nobilis arte lyrae. aut rapidis torta Charybdis aquis. Auſonia* aut *Clarios incitat aura viros. Pars melior de te nempe ſuperſtes agit. Et ſimul agnorunt Manethonis ſidera lucem. Sperabat cupida Muſica turba manu. Tot ſpolia errorum tot rara tropaea tuorum.* Quae omnia ex uno carmine in obitum Dorvillii excerpſi. qui-

quibus adde: *ante tuos ponere Petre, pedes* ex Eleg. ad Lotich. Denique non ideo ſcripſi: *Tuis auſpiciis, (iam video dies)* quod primam in *tuis* produci volui, ſed quod Horatius *II, 20, 11. Superne naſcunturque leves*, II. 19, 22. *Cohors gigantum ſcanderet impia*, II, 17, 3. *Obire Maecenas mearum.* II, 14, 6. *Amice places illacrymabilem.* et alibi mihi exemplum reliquit, quod ſequi poſſem. In *Omitte* (p. 102.) primam produxi, quoniam alii hoc fecerant, cum quoniam eſſet quaſi *Obmitto*, tum quia Horatius produxiſſe videretur: *Omitte mirari beatae:* in *Philoſophia* (p. 87.) autem, quia, ut ipſe vidit, aliter hoc verbum non locum inveniret in carmine. verbum *deerit* (p. 99.) aliorum exemplo tribus ſyllabis extenſum poſui: ut et *ſuavis* (p. 120.) quemadmodum Douza iam in *Praecidan. ad Tibull. c. 19.* de polyſyllabis in pentametro (p. 100.) egit. Sed nimis longe in una re moror. Alterum, quod propoſueram, erat malignitatis ut ſpecimina darem. Saepius unam eandemque rem repetiit Burmannus, ut perſuaderet lectoribus, me quam ſaepiſſime unum idemque peccatum commiſiſſe. Sic de pentametri exitu per eliſionem ut: *civium amor*, agit p. 85. 92. 113. 114. 117. 102. 103. 97. 107. de verbo *divus* p. 108. et 95. *rudis* p. 109. 94. *irretorto* p. 120. 92. *ornamentum* p. 85. 106. de

de concurſu ſimilium verborum 96. 98. 99. 101. 120. *ergo.* p. 97. 121. et ſic ſaepe ſolet, ut de *diripere* p. 121. 122. ubi fateor me ſcribere debuiſſe *deripuit*, pro *diripuit*. Sed ut errarem facile effecerunt tot libri, in quibus idem deprehendas. vid. *Heinſium ad Ovid. Am. I, 5, 13. et Met. III, 52.* Denique Burmannus ſaepe verſus meos irriſit, nec tamen cauſam, cur rideret, edidit. quaſi vero iſte paedagogus ille ſit, cuius nutu omnia regantur. Exempla vide. p. 89. 33. p. 91. 53. 59. 62. 63. p. 93. 73. 81. p. 94. 85. p. 95. 103. 105. p. 96. 111. 115. p. 97. 116. 125. p. 99. 137. 143. p. 100. 147. et ſic centies. Intelliges hinc totum librum plenum eſſe conviciis, fraudibus, fallaciis, mendaciis, et lepidiſſimis erroribus. Intelliges vero etiam hoc, mihi non deeſſe, quae reſpondeam, quibusque cum ſtuporem et imperitiam, tum malitiam hominis et impudentiam incredibilem oſtendam. quae quidem tu cum iis communicare poteris, qui hominem forte non norint. Nam quicunque ex iis, quae fortiſſimus heros de ſe praedicat de illo iudicet quantivis pretii hominem eſſe putabit, ſtrenuumque gladiatorem, qui ſpiritu legiones Grammaticorum difflet

Quaſi ventus folia aut panniculam tectoriam.

Nam magnifice loquitur: ſe dictatorem eſſe putat: magna ſe auctoritate florere perſuadere

 impe-

imperitis cupit. Atque hercle! incredibile eſt, quomodo forte

> *quando incedat per vias*
> *Contemplent, conſpiciant omnes, nutent, ni-*
> *ctent, ſibilent,*
> *Vellicent, vocent:*

ſibique inſuſurrent: Hem! nonne hic iſte qui olim in caſtris prope Leowardiam poſitis graecatus, qui deprehenſus in loco non honeſto, in ciſta abſconditus — a iuvenibus elatus — qui domi tyrannidem ſaevitiae Neronianae non multum abſimilem exercet —— qui aeditimum competitorem feliciter ſpe nuptiarum evertit: qui moribundae uxori, quam omnibus calumniarum tormentis cruciaverat, confeſſionem extorſit, ſe cum illa placide et ſine ulla offenſa vixiſſe: qui turpiter cum conſanguineis et affinibus flagitioſe et turpiter rixatus eſt: qui Vryhoſio quotidianis vexationibus tabem contraxit: qui tributum πανδήμῳ —— Veneris nepotulus molliſſimus —— Sed deſino. Nam hoc, ni fallor, iam alio tempore tibi narravi quaerenti nuper, qui homo eſſet Burmannus, reſpondiſſe virum in Belgio gratioſi nominis: illum non multo maiori loco et numero apud Amſtelaedamenſes haberi, ac canem in vicis currentem. Habet praeterea liber additum *Elogium* Francico ſermone conſcriptum, cuius auctorem *Reiskium* puto. e quo non poſſum non pauca excer-

excerpere: —— *et ſe retira a Iena; ou pour attraper de quoi vivre,* [nempe erat Ienam abeundum, ut vitam ſuſtinerem! ride, mi Harleſi, ride et cuique Ienenſium, qui mihi obolum donaverit, me nummum aureum redditurum eſſe promitte. Hem! atrum panem profecto e iure heſterno me vorare oportuiſſet, ſi liberalitate cuiusquam (quisquis ille fuerit) Ienae ſuſtentatus vitam agere voluiſſem debuiſſemque. Quid vero, mi Burmanne, quam dives tu es?

Bur. *ſatis eſt divitiarum.*

Plus mihi auri mille eſt modiorum Philippei, praeter theſaurum.

Tum argenti montes non maſſas habeo. Aetna non aeque alta eſt.

Credo profecto multos te habere ſcyphos, cantharos, calices, multa pocula. ſed tamen audivi trapezitas te bene noſſe: audivi, te lubenter aes alienum contrahere et creditorum ſpem eludere o dulciſſime, peritiſſime, clariſſime magiſter bibendi. audivi te, ſi deſit argenti copia mirabili mercatu libros tuos vendere: audivi te nunquam religioſiorem fuiſſe quam in colligendis didactri vectigalibus, ſeverius ea importuniusque, quam vel diſcentium perſona, vel conditio fortunaque pateretur, exigendo. Hinc iuſtam nonneminis indignationem aequo animo ferre debueras: an equis tuis alimenta foeni et avenae deſint, quod pecuniam quoquo modo cogas] *il fait ſa cour a Mrs. Walch, qui l'employent*

a SOUTENIR *la renommée de leur Societé Latine, comme ils l'appellent :* *et* CERTAINEMENT, *entre les Académiciens Latins a Jena* C'EST KLOTZ QVI ENTEND ET ECRIT LE LATIN LE MIEUX. quid dicturos eſſe putas homines, qui me ideo parum peritum Latinarum litterarum cenſent, quoniam Geſnerum non ſolum virum doctiſſimum eſſe, ſed etiam probabili dicendi genere uti, dixi? In cachinnos effuſus ſum his lectis. Si Burmannus praevidiſſet, me tanta cum animi voluptate Antiklotzium perlecturum eſſe, hercle! eum non edidiſſet. Praeterea me recreabit ſemper reficietque illa cogitatio, ſummum Geſnerum et dignum cenſuiſſe Burmanni ſtuporem, qui caſtigaretur, et praedixiſſe, quas mihi dedit homo iſte, poenas. ſunt litterae in viri cuiusdam docti manibus in quibus ille ſcripſit ad virum quendam celeberrimum : *Pluſcula ſunt in ſpecimine (Anthologiae) eius, in quibus amico monitore opus habet. Sed non puto illum poſſe ferre Germanum monitorem, minime omnium Geſnerum:* et in aliis: *an emendaturus ſit multipliciter et quaedam graviter ſatis peccata in ſpecimine? Si dignum cenſuiſſet, cui verbulum humanum reponerem indicaturus ea homini fueram quae forte cum pudore aliquo diſcet in poſterum ab aliis.* item rurſus in aliis litteris: *Humanitatem Petri Iunioris non deſidero poſt eam rationem, qua mecum adhuc egit. Viderit ipſe*

modo

modo curet iudicia poſteritatis! Equidem nolim mea culpa de me legi, quae fieri poteſt ut de illo et in illum legant poſteri: quin ab illo etiam, ſi ſpecimini Anthologiae Latinae opus ipſum aliquando reſpondeat. Verum haec hactenus. De reliquis propediem coram, vir amiciſſime. Nam video me iam longiorem fuiſſe, quam propoſitum mihi erat. Sed provectus ſum amore et cupiditate Tecum garriendi. Vale interim et quod facis, me amare perge. Scr. Jenae d. VIII. Sept. 1762.

Exſtat denique perfaceta *Antiklotzii* cenſura in *Critiſch. und zuverläſſigen Nachricht. T. II. P. IV. p. 363. ſeq.* vbi praeter alia haec occurrunt: *Dieſes iſt zwar der Auszug dieſer Schrift, aber das beſte fehlt noch. Herr B. verſteht eine Sprache zu reden, die ſich vor ihn ſchickt. Wir wiſſen es ſelbſt nicht, wie wir ſie nennen ſollen. Andere Leute werden ſie Grobheit nennen, und wir errinnern uns, daß jemand beym Durchleſen dieſer Schrift ausrief:* Schöne Schimpfwörter! neue Grobheiten! ſpannagelneue Schimpfwörter! wer kauft? *Aber wir getrauen es uns nicht nachzuſagen. Nein, wir haben dies Buch mit heiligen Schauer in die Hand genommen, voll Andacht geleſen, und jetzt machen wir einen tiefen Reverenz und legen es weg:* et paullo ante de Burmanno dicitur: *Dann beſchwehrt er ſich wieder über*

 den

den Herrn Klotz, daß er ſo gottloß ſey, und ihm grammaticaliſche Schnitzer vorwerfe. Das iſt auch wahrhaftig zu arg! Herr B. iſt wohl in der Grammatic nicht ſo gar feſte, aber er ſagt, dieſe Fehler rührten alle von dem Buchdrucker her. Der böſe Buchdrucker! wir meinen es von Herzen gut mit Herrn B. und daher hätten wir gutmeinend gerathen, daß er zu dem Antiklotzius einen andern Buchdrucker genommen hätte. Denn es ſind wieder verſchiedene Burmannismi *untergelaufen, als p. 80.* in tantum poetam evaſit, *und viele andere. Wenn nun Herr K. wieder ſo gottloß iſt, und ſagt, Herr B. habe grammaticaliſche Schnitzer gemacht? Man kan ja nicht zweymahl eine Entſchuldigung vorbringen.*

Inimicus quidam *Klotzii* librum etiam recenſuit in *dem Neueſten aus der anmuthigen Gelehrſamkeit. N. VII. p. 514.* a. *1762.* vbi tamen de hoc libro dicitur: *Herr Peter Burmann II. in Holland hatte ſchon dort dergleichen ungeſittete Proben in einem Streite mit einem andern Gelehrten gegeben. —— Uns dünkt gleichwohl, man ſey zu unhöflich und zu grob mit ihm (Klotzio) umgegangen. —— Ein gerechter Abſcheu überfällt uns. Genug davon!*

Hiſce perſcriptis venit in manus noſtras novus liber, qui ſic inſcriptus eſt: *Deductie ter verdedіginge van Mr. Pieter Burman, Profeſſor te Amſterdam tegen de zo genaamde Regtma-*

matige Afkeering van Chriſtophorus Saxe, Profeſſor te Vtrecht. in 's Gravenhage by P. G. van Balen. 4. Non ipſe quidem *Burmannus* auctor libri dicitur, ſed ſemper nomine *de Deducent* occurrit. Auctores eſſe, feruntur duo cauſſidici *Petrus Theodorus van Hamel* et *Ianus Grotius.* Multa conuicia iactantur erga Cl. *Klotzium*, erga *Actorum Eruditorum Lipſ.* auctores, erga Cl. *Luzac*, quem hinc videmus in *Letter Courant* arrogantiam *Burmanni* improbaſſe, et Cl. *Saxium.* Nos miramur, Cl. *Burmannum* nihil noui protuliſſe veterem crambem tantum recoxiſſe atque adeo ſuae accuſationi, quam *coram tribunali* adſerere debebat detraxiſſe, veremurque, ne nouae hinc turbae oriantur.

Quoniam autem cum hic, tum in *Antiklotzio* multa a *Burmanno* dicuntur, quae ſibi a Cl. *Erneſtio* de *Klotzio* ſcripta eſſe gloriatur, parum ea huic honorifica, petiit a me *Klotzius*, qui in ſemel probata ſententia manet conſiliumque nihil *Burmanno* reſpondendi retinet, vt proponerem hoc loco litteras ab *Erneſtio* ſcriptas. Quod eo minus amico negare potui, quoniam ipſe cuiuis liberum iudicium relinquo, nihilque definio. Scripſit igitur Cl. *Erneſtius* ad Cl. *Klotzium* in litteris d. XVII. Septembr. 1762. datis: *Quod ad querelas de Te meas attinet, non memini, me de iis ad Burmannum ſcribere. Et habui hiemem labori-*

bus publicis priuatiſque ita excercitam, vt de litteris talibus ſcribendis vix cogitare poſſem. Illud autem venit in mentem, proxime ſuperiori mercatu, cum coenaret apud me Schreuderus, librarius Amſtelodamenſis, inter alios amicos, in quibus et fuit Reiskius, et ille ſermonem de controverſia veſtra inieciſſet, inprimisque admirationem Burmanni commemoraſſet, quod omnia alia facta eſſent, quam ego ſcripſiſſem, tum me igitur ita reſpondiſſe, vt dicerem, nihil longo tempore mihi moleſtius ea re accidiſſe, atque vix Burmannum magis indignari potuiſſe quam ipſe indignatus ſim, vbi Te aliter, quam dixiſſes, feciſſe cognouerim, vel hanc ob cauſam quod ipſum inani ſpe fefelliſſem. Haec ſi ille durius narrauit Burmanno, aut hic duriora fecit nulla mea culpa eſt. —— Vides, me nihil occultare, et ex hoc ipſo intelligis, me bono animo feciſſe, quae feci. ſi porro ex me quaeras, quid Tibi faciendum putem, nihil aliud reſponderim, quam vt nihil reſpondeas &c.

Idem Vir cel. *Klotzio*, de iis, quae *Burmannus* in *Deductione* ſcripſerat querenti, d. XV. Aug. 1763. reſpondit haec: *Vtinam illius epiſtolae quam accepto eius adverſus Te libro ipſi ſcripſi exemplum ſervaſſem, mitterem ipſum, ut plane videres, quid a me eſſet ſcriptum. Sed mihi non tantum eſt otii, ut epiſtolarum exempla bina ſcribere poſſim, et fere ſubito ſcribo epiſtolas, ſurripiens aliquid temporis negotiis neceſ-*

neceſſariis et melioribus, ut hanc ipſam, fingoque mihi homines ex ingenio meo, nihil fraudis timens. Itaque nihil poſſum niſi ſcribere, quae recordor me ſcripſiſſe, in quibus nihil fuit, quod ad Tuam iniuriam pertineret aut pertinere vellem. Quomodo enim? qui a Te nulla iniuria laeſus eram; atque etiam iniuriarum obliviſci didici. Scripſi igitur, Te iſtius libelli atrocitate et acerbitate vehementer commotum et incenſum fuiſſe, ſed tamen conſilio meo, cupientis finem fieri foedarum rixarum, eo redigi Te paſſum eſſe vt animum induceres ad patientiam. Itaque me ſperare ipſum quoque, (quod ſaepe ante ſuaſi) quieturum poſthaec. An in his eſt aliquid, quod Te mordere poſſit? Addidi etiam porcendum eſſe ei, cuius fortunae nondum ſint ſtabilitae et fundatae. Etenim talibus ſcriptis ſaepe hominibus eius ſortis noxas inferri per omnem vitam non corrigendas. — De munere interverſo Tibi tam certum eſt me nil ſcripſiſſe, quam haec me ſcripſiſſe. Nam Tibi tum alius muneris nanciſcendi ſpem aliquam fuiſſe prorſus ignoro, nec puto fuiſſe. —— Ergo ſi tu tamen iſta gloriatione inani Burmanni Te incitari ſinis ad mutandum conſilium et vis contra maledicere, de illo loco honeſte nihil aliud dicere poteris, niſi te exiſtimare eum excerpſiſſe ex illa Germani epiſtola, mutaſſe etiam per quae poſſet gloriari: —— Si dixit me Tibi iratum eſſe, mentitus eſt. Indignatum me eſſe ab initio, non quod illam Recenſionem in Actis ſcripſiſſes,

 nam

nam hoc neſciebam, ſed quod Te paſſus eſſe contra conſilium meum et promiſſum Tuum incendi ad irritandum Burmannum ab iis, qui per alium cuperent ipſi aegre facere, non nego, atque tibi ipſi ſcripſi, ſed etiamnum iratum eſſe, et Tibi aegre fieri velle inimico animo id ſancte jurare poſſum, non ita eſſe. &c.

CHRISTIANVS ADOLPHVS KLOTZIVS

Philoſophiae et LL. AA. Magiſter, Profeſſor Philoſophiae in Georgia Auguſta Ordinarius Reu. Capitul. Wurc. Capitul. Extraord. Poet. Caeſ. Laur. Acad. Caeſar. Scient. Roboret. Soc. Altdorf. teuton. Acad. Elect. Mogunt. Scientiar. Vtil. Soc. litterariae Zittaviens. et latinae Ienenſis collega.

Cum cl. *Klotzio* mihi vetuſtam intercedere familiaritatem, qua ego non minus glorior, quam laetor, in vita Burmanniana non ſine voluptatis ſenſu iam teſtatus ſum. Quare quo familiarius eo ab aliquot annis vſus ſum, et quo crebriores de eius vita habui cum illo ſermones; eo magis noui eius mores, animum atque ingenium: eoque liberius deſcribam illius vitam. Nam alioqui arduum eſt et paene periculoſum, eruditorum, qui adhuc in viuis ſunt, vitae maculas, quibus tamen, vt omnes homines, non carent, libere, nec callide, detegere.

tegere. Conſtat, homines, qui ingenio atque eruditione alios ſuperant, vitiis, quae, ſi omnibus eſſent cognita, gloriam nominis moresque infamarent, ſaepe maioribus obſitos eſſe illis, qui eruditione ſunt inferiores. Tantum vero abeſt, vt *Klotzium*, quoniam ingenio et doctrina paucos habet pares, et litterarum graecarum latinarumque cognitione plurimis praeſtat, eorum vitiorum, quae virorum haud ſane paucorum, eruditionis laude florentium, vitam commaculant, aut arguam, aut *Burmanni* conuicia vera eſſe arbitrer, vt potius poſſim affirmare, virtutibus, quibus praeditus eſt, omnia animi vitia deleri. Atque, vt homines videant, me veritati maxime ſtudere, me laudare quidem amicum, in quo tamen, ne illi adulari videar, parcus ero, ſed me quoque vitia non reticere, ab eius ingenio moribusque deſcribendis exordiar. Quod ad animum quidem attinet, aliquoties illius imaginem carminibus intexuit. Nam et in *opuſculis poeticis pag.* 24.

Humana, inquit, *fortis ſubiiciam mibi*
Magnoque ſpernam pectore: lumina
Non torua Fortunae timebo,
Me timeat fugiatque Diua,

et *pag.* 42.

Sola nos reddit, Neomanne, virtus,
Nobiles, raro ſoliis amica,

Sae-

Saepius riuis et amica tectae
Ceſpite villae.
Fortis et conſtans ſcelus omne ſpernam
Purpura indutum: tenuique panno
Squallidam virtutem animoſus idem
Semper amabo.
Laetus et prudens animus ſibique
Imperans ſe digna cupit facitque
Maior et quouis titulo et ſuperbo
Stemmate maior.
Ille contemtor popularis aurae
Ille fortunae quoque ridet iram
Ille amicorum patriaeque dulcem
Spirat amorem.

atque *pag.* 22.

Parca naſcenti dedit affluentes
Non opes fortuna mihi, nec aurum,
Non dedit claros titulos auorum aut
Praedia magna.
Candidum pectus mihi, forte, fatis
Neſcium flecti rigidis, et audax
Et minas terrae et maris inſciumque
Spernere vulgus.
Crede, Schillingi, nec opes nec ullus
Me dies cernet titulos precari:
Non levem plauſum populi precari
Supplice voce. —
Non mihi montes, fluuii lacusque
Patriam claudunt, vbicunque viuam

Qua

Qua patet totus mihi erit ſuauis
Patria mundus.
Et mei tales proaui fuerunt,
Quos ſuae vidit patriae immolatos
Atque Turcarum madidos cruore
Bellicus Iſter.

Et in *Elegiis p. 31.*

Eſt mihi contemtor plebis, contemtor et auri
Eſt animus rutilas ſpernere fortis opes.
Eſt mihi mens conſtans, et recti conſcia, et alta,
Virtutis vindex candida amica probi.
Paucis contentus Muſarum praeter amorem,
Non titulos opto diuitiasque precor.
Non timeo mortem, gaudens me morte carentem,
Cognatamque polo pectore habere animam.

Quare vt et fortitudinem animi, et conſtantiam in minus ſecundis rebus, inimicitiis et contentionibus, quas praeter voluntatem ſuſcepit, ſemper retineret, operam dedit: nihil facile extimuit: libere, quae ſenſit, ſemper dixit: nihilque illi ſimulandi diſſimulandique artibus fuit moleſtius, quas etiam parum callet. Gloriae cupiditas magna in illo eſt, et maior prope, quam par eſt: iracundia facillime vincitur, ſubitoque vehementiſſime excandeſcit; qui tamen aeſtus facile deferuet, nullumque omnino veſtigium relinquit: ita vt illum deprehendas,

Iraſci celerem, tamen vt placabilis eſſet,

vt eſt apud poetam. Honorum titulos et pecuniam

cuniam parui aeſtimat, hanc etiam minoris ſaepe quam prudentia et permittit, et praecipit: liberalis praeterea hoſpitalisque. Raro triſtis eſt, neque quidquam facile hilaritatem animi obſcurat, aut extinguit. Ipſa, quibus petitur, ſcommata et conuicia parum curat: certe animi ſui tranquillitatem iis turbari minime patitur. Amicos valde et conſtanter amat, eorumque conſuetudine delectatur maximopere. * Inconſtantia quaedam et varietas conſiliorum et opinionum ineſt animo, qui idem etiam detrectat diuturnum laborem, ſi praecipue hic fatiget magis quam delectet et alat mentem. Quo fit, vt ingenio multo plura debeat, quam diligentiae, etſi non tam fideliter retineat, quam arripiat illud res. Quando autem coepit litteris vacare, ab illis nullo modo diuelli poteſt. Aliorum imperium detrectat: ſibi ſoli morem gerit: ſe ſolum audit: libertatis amantiſſimus vsque ad vitium.

Huic

* Hinc in *Elegiis* p. 43. ſic queritur:

Aſt ubi nunc Germana fides? prob! tempora dura,
Antiquisque magis ferrea ſecula eunt.
In coelum rediit paucosque reliquit amicos
In terris homines Diua peroſa malos
Vt paucis iſtis nos adſcribamur amicis,
Harleſi coepta tendere perge via.

Huic illae liberae voces cum aliis in locis, tum in *Opuſc. poet.* p. 4. vbi Germaniam allocutus, ita definit:

Indigna forti patre Thuiſtone
Indigna proles indomitis auis,
Hinc foeda cur auertis ora?
Curque pudore genae rubeſcunt?
Effoeta natura et ſenio graui
Languens vetuſtae nos Alemanniae
Heroicorum nos auorum
Dedecus opprobriumque finxit —

Initium vero carminis erat:

Fruſtra ſororis rupta tonitrubus
Caſtella, fruſtra diruta moenia
Turresque fractas et cruentis
Arua cadaueribus repleta,
Fruſtraque morbos, pauperiem grauem,
Germania et tot dura gemis mala,
Quando ipſa perdis te pudenda
Mollitie nocuoque luxu.
Non inclytorum ſanguine Saxonum
Venae tumeſcunt: non patrius vigor
Roburque fortunatum auorum
Degeneres animat nepotes.

Neque ſatis cautus eſt in dicendis ſententiis, (quae licet verae non tamen cuiuis declarandae,) defendendisque iis, quae vera cenſet et recta. Quemuis enim bonum cenſere videtur: cum nemine callide, aſtute et caute, cum om-

omnibus libere et amice viuere vult. Ineptiis hominum irridendis lubenter delectatur, ipſos homines nullo odio proſequitur, cuiuis prodeſſe, quemuis, ſi poſſet, iuuare vellet. Quaecunque iucunda putat ſectatur: quietis praecipue et otii voluptati deditus: dicere ſolitus: ſe eo fine a Deo creatum eſſe, vt iucunde viuat: huc ſe omnia referre, ipſarum etiam litterarum ſtudium. Patriae ſuae eſt amantiſſimus, eumdemque amorem vehementiſſimum non ſemel teſtatus eſt, vt in *Opuſculis* pag. 28.

Non irrigatam ſanguine patriam
Non ora fletu ſquallida ciuium
Non longius moeſtae querelas
Saxoniae tolerare poſſum
Et me ferocem caſtra ſequi iuuat
*Forteſque turmas * Ibimus, Ibimus,*
Et plurimo mox illinenda
Sanguine corripiamus arma —— ——
Tum non auiti nominis immemor
Ortusque forti ſanguine Saxonum

Aut

* Quibus iocoſe reſpondet doctiſſ. *Car. Chriſtian. Schilling* in *carm. libr. duob. eleg. XII. pag.* 44.
Tune ſequi Pindo Mauortis caſtra relicto,
Cluſi *et Pieridas deſeruiſſe potes?*
Nec venit in mentem vati cantata puellas
Nec ſacras hederis impediiſſe comas? ——
I tamen et felix. Prima terrebere pugna;
Rideat haec belli tam bene facta Pater.

Iam-

Aut victor e flammis recedam
Aut gladio caput imminenti
Pectusque nudum caedibus offerens
Pulchris ſuperbus vulneribus mea
Pro Patria Auguſtoque Rege
Hanc animum placido ore reddam.

et in *Eleg.* p. 34.

Te teſtor coelum, vos conſcia ſidera voti
Pro patria hanc vitam fundere dulce foret.
Pro patria Auguſtoque meo per vulnera pulchra
Egregiam mortem quaerere dulce foret.
Adſpicerem laetis oculis animoque triumphans,
Adſpicerem noſtro ſanguine ſplendidam humum.
Hic fluit Auguſto ſanguis patriaeque ſacratus:
Sola haec verba anima deficiente darem.

Quod ad litteras attinet, litteras amat humanitatis, hiſtoriam, et Philoſophiae eam in primis

Iamque Heroe nouo video trepidare colonos,
Iam prece ſubmiſſa velle mouere feruor.
Atque aliquis, niuea barba niueoque decorus
Crine, tibi ſupplex ruſtica verba feret:
Vt parcas pecorique ſuo, vitique paternae,
Quae cingit paruae tecta vetuſta caſae ——
Parces. Non dura eſt tibi meiis, non imperat vnus
Educto pacem qui Deus enſe parit &c.

primis partem, quae de moribus praecepta habet.

Hinc illa in *Opuſc. Poet. p. 43.*

Quid iuuat rerum docili artiumque
Ambitum infinitum animo tenere,
Si tibi ignotus, Neomanne, *viuas*
Et moriaris? —
Artibus doctis animus politus
Efficit ſolus neque nos beatos
Nec poteſt veram dare nec perennem
Nobilitatem.
Formet et fingat iuuenile pectus,
Pectore exſtirpet vitium potentis
Diua virtutis manus inſeratque
Semina honeſti.
Illa fortunam doceat grauesque
Sortis humanae tolerare caſus:
Illaque aſſueſcat vitia et ſuperbum
Spernere vulgos.
Non eum ſordes ſcelerum inquinabunt,
Conſcius quicunque ſui inclyti ortus
Se ſciat dium genus eſſe ſeque
Aethere natum.

Iis etiam libris delectatur valde, qui de pictura praecipiunt, ipſisque picturis, ſibique maximam eſſe cum poeſi illius artis coniunctionem, et in ſentiendis poetarum veneribus vtilitatem, perſuaſit. Tenetur etiam vernaculae linguae ſtudio, et lubenter legit Theotiſcos libros. Qua in doctrina ſe Leſſingios, Sul-

Sulzeros, Klopſtockios, Gellertos, et paucos alios ſequi aliquoties profeſſus eſt, contemtis, vt dicit, alterius partis hirundinibus. In his quid praeſtiterit quum omnes a *Burmanno* eiusque ſimilibus ſi diſceſſeris, in illius virtutibus laudandis conſentiant, alii iudicent ipſaque poſteritas. Equidem, ne amicitiae aliquid dediſſe videar, nihil de illis dicam, nec teſtimonia virorum, qui, quid venuſtum et ſpecioſum ſit in his litteris, ſentiunt, in medium proferam. Haec de eius ingenio et moribus: Vitam eius nunc enarrabimus.

Klotzium patre matreque natum, praeceptoribus vſum eſſe, et, quum adhuc iuuenis tot libros multa variaque eruditione refertos ſcripſerit, litteris diligentem operam dediſſe, nullus negabit. Atque in his minutiis verboſum eſſe, non ſolum ſuperfluum ſaepe eſt ſed quoque vitioſum. Nam haud raro parum intereſt lectorum ſcire qui fuerint parentes: plurium vero refert rationem quam viri docti in litteris addiſcendis inierint, et quae obſtacula fuerint ſuperanda cognoſcere. Ego vero, vt ſequar conſuetudinem, a qua diſcedere interdum nefas eſt, plurium voluntati ſatisfaciam.

Natus autem eſt cl. *Klotzius* anno huius ſaeculi XXXVIII. in vrbe, non procul Dresda in finibus Luſatiae Miſniaeque ſita, quam *Biſchoffswerdam* vulgo adpellant, latine *Epiſcopi*

Inſulam dicunt. Pater, *Ioannes Chriſtianus*, ſacris per illum agrum faciundis praeeſt: mater e gente eſt *Auenmulleriana.* Memini, noſtrum *Klotzium* mihi ſaepius dicere, ſe, quomodo primos aetatis annos egerit, omnino ignorare: * illud noſſe, a quouis ſe ſtudiorum genere abhorruiſſe, et fere vsque ad ſeptimum annum neque vi cogi neque precibus allici potuiſſe ad legendum aliquid et ediſcendum. Sed paullo poſt tanta repente exarſit diſcendi cupiditate, vt nihil ſuauius videretur hoc labore. Iucundum vero hunc ipſi in primis reddebat is, quo priuato praeceptore per aliquot annos vſus eſt, *Foerſtelius*, nunc in Hermunduris

* Sed de iuuenili aetate a ſe acta in *Elegiis p.* 28. canit:

Quando inter ſalices et valle licebit in illa
Tendere deſuetae fila remiſſa lyrae?
Hic quoties fidibus Venuſinis carmina dixi,
Diuino Auguſto carmina ſacra meo,
Hic quoties Muſis viridi proſtratus in herba
Et leuibus Nymphis vota preceſque tuli!
Hic mihi conſumtus viridis flos, verque iuuentae
Transactum: omnis erat cura dolorque procul. ——
Me vitrei fontes, me picta vireta iuvabant,
Solaque Muſarum dulcis amicitia.
In viridi ſylva ſatyros audire iocantes:
Nympharum choreis implicuiſſe manum:
Et nunc Virgilii mirari nobile carmen,
Diſcere nunc numeros, Naſo venuſte, tuos:
Hoc meum opus iuuenis &c.

tis ſacerdos, vir multarum litterarum. Pater vero pro ſuo erga humanitatis litteras amore, cuius etiam teſtimonia, non obſcura, quaedam * extare voluit, in primis operam dedit, vt traderentur filio ii libri legendi, qui magis confirmarent, quo illum iam natura ferri videbat, ſtudium. Poetis Theotiſcis legendis ſe tunc in primis delectatum fuiſſe, poeticesque quaedam edidiſſe ſpecimina ſe decennem puerum ſumma celeritate, qualia nempe in tam teneram aetatem cadant, et ab ea poſſint exſpectari, in praefatione *elegiarum* ipſe memoriae prodidit cl. *Klotzius*. Sic paratus valde puer mittebatur in ſcholam, quae *Miſniae* publicis ſumtibus ſuſtentatur, Electoralisque vocatur, vbi in primis rectori *Vliſchio* carus fuit, tum etiam *Vueiſſio*, et, quem in laudata praefatione ſumma cum teſtificatione grati piique animi, adpellat, *Clemanno*. In hoc viro, quem morum elegantia et ſumma humanitas amabilem reddunt, animaduerdiſſe ſibi videtur feliciſſimum deliciarum poeticarum ſenſum et rectum de litteris noſtris iudicium. Huic hoc etiam debet *Klotzius* quod abiectis quibusdam, tum claris qui-

* Praeter ſcripta quaedam theologica edidit tres diſpp. *de vitiis in Tirone Cic. liberto laudatis, notatis, falſo notatis*. Witteb. a. XXVII. et *Centuriam librorum auctoribus ſuis fatalium*. Lipſ. a. LXI. 8.

quidem, ſed non optimis, ſcriptoribus, meliores popularium noſtrorum libros cognoſceret et legeret. Valde enim vir doctus ab iis diſſentiebat, qui nihil omnino iuuentuti de Theotiſcis litteris dicendum eſſe arbitrantur, noſtrorumque hominum libros de manibus puerorum excutiunt. Quod licet non malo animo hi faciant, verentes, ne Graecarum et Latinarum litterarum ſtudium negligatur, male tamen agunt, et ſaepe, vt numquam de litteris recte iudicent homines ſic inſtituti, efficiunt. Miſenenſi in ſchola etſi ſex annos agere debent iuuenes, *Klotzius* tamen, qui liberaliter et ingenue educatus, durius inſtitutionis genus (ad quod cl. *Baumeiſterus* in epiſtola addita *diſſertat.* noſtri de *Cicerone* reſpicit, *neque enim*, inquiens, *recte agendi voluntas vel minis vel acerba ſeueritate, vel ethica bacularia et argumentis ligneis, quid rides? excitatur, ſed rationum momentis, liberaliorique et amica admonitione*) non diutius ferre potuit, ſed poſt quatuor annos domum abiit. Ob paucitatem annorum exiguumque rerum vſum, aequori illum academico committere nondum audebat pater, ſed circumſpiciebat locum, vbi non ingenium ſolum, ſed mores etiam polirentur et formarentur. Fama et veteri amicitia cl. *Baumeiſteri* commotus miſit eum *Gorlicium* qua in pulcerrima vrbe duo annos ita ſe vixiſſe ſaepe dixit, vt tam iucundos dies numquam redituros eſſe vere ſibi perſuaſiſſe vide-

videretur. *Baumeiſterus* nullum officium omiſit, quod, ſi eius fuiſſet filius, exſpectare potuiſſet. Aderant optimi doctores: bibliotheca ſenatus erat ampliſſima: nec amici deerant * Praeterea et in aedibus *Baumeiſteri* habita-

* Ipſe hoc profeſſus eſt in *Opuſcul. poet. p.* 57.

Nondum pectore amor meo
Nec deſiderium, Niſſa, abiit tui,
Quae ſublimia moenia
Lentis Gorlicii fluctibus alluis,
Et felicibus irrigas
Vndis rura meae, Niſſa, Luſatiae. ——
Olim me quoties tu pauida manu
Flacci tendere barbiton
Vidiſti! quoties vulnera pectoris
Ripis lene ſonantibus
Vicinisque queri rupibus et leui
Vidiſti Dryadum choro!
Texebant ſalices tum viridem mihi
Vmbram tumque coloribus
Diſtincta ambroſiis gramina languido
Praebebant lateri torum
Tum Nympharum aderant numina, me niſi
Error luſit amabilis
Adſtabant nitidae tum mihi Naiades
Ridentes mea vulnera,
Ardoresque meos ore venuſtulo —— tum haec vota facit:
At ſicut vitreas tu ſine murmure
Per flores varios aquas
Voluis, ſic iubeant Di ſtrepitu ſine
Vt luctu et grauibus malis
Pura, vt vita mihi candida defluat.

bitabat, et conuictu illius, cui plures nobiles iuuenes cum magiſtris ſuis intererant, fruebatur.

Hic inprimis operam dedit philoſophiae ſtudio, ad quod eo vehementius accenſus fuit, quo magis delectabatur priuatiſſimis *Baumeiſteri* inſtitutionibus, in quibus Metaphyſicam illum tanta oris et orationis ſuauitate docuit, vt horridulam hanc et duriuſculam Philoſophiae partem amaret. Praeter ea Xenophontem praecipue, Homerum, Ciceronem et Horatium diligenter legit, * et quoniam pater illum volebat Theologiam olim profiteri, cum huius doctrinae, tum Hebraicis litteris temporis aliquid tribuit. Gorlicii quum eſſet, dixit ſaepius in villis ſuburbanis pro ſacris roſtris ad populum, quod etiam in patria aliquoties ab illo factum eſt. Nempe pro ingenii ſui inconſtantia fauebat maxime Zin-

* De Graecorum litterarum ſtudio haec narrat in *praefat. Eleg. p. 8.* Hortabatur vero idem, (*Baumeiſterus*) me inprimis ad ſtudium Graecarum litterarum, quarum in me erat inſignis amor, ſed levis cognitio. Hinc vna cum Neomanno, aequali et familiari meo, diuina Homeri carmina, tanta auiditate, non tam legi, quam deuoraui, vt quotidie vsque ad multam noctem illis inſudaremus, atque intra viginti circiter quatuor dierum ſpatium omnia perlegeremus. Fuit enim tum nobis illud tantummodo propoſitum, vt formam aliquam magni operis et ſpeciem animo

Zinzendorſianorum partibus, nihilque aliquoties propius abfuit, quam vt eorum ſodalitati nomen daret. Adcidit vero ſemper, vt licet valde amaret eam, quam prae ſe ferunt iſti, pietatis et honeſtatis ſpecim, tamen hic amor numquam inſideret penitus eius animo; et tum in ſe tributos ab Horatio iuuentuti mores animaduertit:

Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.

Poſteaquam Lipſiam venerat, elegantioris Iurisprudentiae ſtudium elegit, illique tantum temporis ſtudiique dedit quantum ad intelligenda vetera monimenta neceſſarium eſſet. Qua de re, qui optime expoſuiſſent, vt cognoſceret, audiuit *cl. Sammetium*, aut miratus potius eſt, (id quod ſaepe profitebatur) ob ſum-

mo informaremus atque verborum nobis compararemus copiam. Quare etiam paullo poſt Clarkiana editione inſtructus iterum huius poetae lectionem aggreſſus atque multo tardius in ea progreſſus ſum. Homero Heſiodum, Sophoclem, Anacreontem addidi, quorum ſimplicitatem, ſublimitatem dulcedinem mirabar: ruſticam vero Theocriti muſam deperibam plane et his vlnis complectebar ſaepius. Neque ſemel tum floſculos quosdam e viridariis hiſce delibaui, atque Graecis verſiculis luſi, quorum multos aliquoties palam recitaui &c.

ſummam doctrinae copiam, hiſtoriam iuris litterariam explicantem. Quemadmodum vero iam Gorlicii nihil magis amauerat, quam vt non tam viua voce doctorum, quam potius aſſidua librorum lectione frueretur, et quae profutura viderentur, inde diſceret, ita etiam Lipſiae fere hunc morem tenuit, non vt gloriolam aucuparetur, ſed quoniam ingenium eius ita poſtulare videbatur. Quare fere nemini eruditiſſimorum virorum, qui Lipſienſem academiam ornant, operam dedit, et quamuis ſcholas eorum interdum inuiſeret, tamen et raro hoc factum eſt, et magis ipſorum cognoſcendorum, quamque ſequerentur, rationis perſpiciendae, quam diſcendi, cauſſa. Numquam tamen ſuaſor fuit, vt quisquam ſuum exemplum facile ſequeretur. Se enim intellexiſſe, ſaepiuſcule dixit, certius quidem multa tali modo diſci poſſe, auctoritateque ſingula confirmata teneri, quum alii tantummodo verbis magiſtri credere cogantur, ſed ſe vidiſſe etiam, confeſſus eſt, multo tardius, per multas ambages nos ſaepe eo peruenire, quo magiſtri ſuos celeriter perducant. *Klotzium* vero, vt aliter faceret, commouit inprimis odium, quo *Compendia* iam tum proſequutus eſt. Lipſiae profuit illi beneuolentia ill. *Belii*, qui eum et domeſticum et conuictorem ſuam eſſe voluit, et ipſi bibliothecae ſuae praeclarae et plenae optimorum librorum copiam

piam fecit, atque variis modis rationibus eius bene conſuluit. Aliquot annis poſt a. LX. iter fecit in patriam, et, quum ob ſummam omnium rerum perturbationem vix tuto Lipſiam redire ſibi poſſe videretur, ibi hyemem conſumſit. Vt haberet, quo delectaret otium tempusque falleret, totam *Xenophontis Cyropaediam* in vernaculum ſermonem tranſtulit, quam iam tradituro illi typographo praeter omnem ſpem adfertur alia verſio, quae Butzouii prodiit; quaeque licet neque elegantiſſima eſſet, neque maximam auctoris Graecarum litterarum ſcientiam teſtaretur, effecit tamen, vt *Klotzianae* excudendae bibliopola ſumtus addicere nollet. Sub initium veris anni LXI. Ienam abiit, non vt doceret aut diſceret ipſe, ſed vt ſibi Muſisque viueret. Nam, quod primum omnium monere debebat et *Klotzius* in *epiſtola ad viros eruditos in Germania* declarauit, pater lubenter illi et largiter ſemper praebuit, vnde bene et honeſte ageret vitam.

Ienae igitur illum viuentem paullo poſt Societas Latina elegit, qui ab epiſtolis eſſet. Quo munere, etſi gratis omnia ageret, neque mercedem poſtularet neque acciperet, non ſine voluptate functus eſt. Quare Auctor *elogii* in *Antiklotzio* et *Burmannus* valde errarunt, qui dicerent *Klotzium* a ſocietate pecuniam accepiſſe. Amicorum quorundam conſiliis adductus pro more ſibi facultatem docendi

cendi litteras comparauit ſcholasque aperuit, magis, vt morem gereret ſuadentibus atque inſtantibus, quam vt multa ſibi commoda polliceretur: quae tamen res contra opinionem, et multorum ſpem, qui plauſu ciuium caruerunt, adcidit. Nam et publice illi Horatium interpretanti plures adfuerunt quam Ienae exſpectauerat vnquam, et priuatam inſtitutionem non pauci expetiuerunt. Cauſſa vero plauſus et frequentiae auditorum in promtu eſt. Non haeſit in minutiis vocabulorum et antiquitatum, ſed docuit ſuos, quomodo ope veterum auctorum ingenium expolire et verum ſanumque iudicium de illis ferre deberent. Hoc igitur quum ageret, incertusque haereret, quod ſequeretur vitae genus, vtrum academicum munus an ciuile ambiret dubitans ab, Auguſtiſſimo Britannorum rege Gottingam vocatur, Profeſſione Philoſophiae exordinaria oblata. Quo eo lubentius abiit, quo magis et clarius quorumdam inuidiam, et maleuolentiam Ienae experiri coepit. Gottingae primo tempore cum ſat gravi morbo conflictatus eſt, affixus lectulo per plures hebdomadas. Mox vero conualuit, et, vt iucundius viueret, in matrimonium duxit *Ioannem Mariam*, e gente *Sachſia*, virginem omnibus virtutibus ornatiſſimum, ſummaque caſtitatis et verecundiae laude florentem. Nuptiae erant die XIIII. Iunii. vbi illud ſibi mirabile videri aliquoties dixit, ſibi

amico

amico Cl. *Saxii* ſponſam eiusdem nominis obtigiſſe, etſi haec illum nulla neceſſitudine attingat. Praeter omnem vero ſpem nec tale aliquid *Klotzio* exſpectanti duplex conditio offertur. Nam et a Sereniſſ. Principe Darmſtadienſi in Academiam Giſſenſem vocatur ad Profeſſionem Linguarum Orientalium, et a Rege Boruſſorum per illuſtrem armis et doctrina virum, *Quintum Icilium*, Halas ad profeſſionem eloquentiae invitatur, DCCC thalerorum ſtipendio propoſito. Diu dubitauit, quo ſe conferret. Tandem et ſtipendio aucto et profeſſoris ordinarii philoſophiae munere addito Gottingae manere et viuere porro conſtituit.

Poſtremo ad ſcripta eius peruenimus, quibus apud omnes magnam laudem conſequutus eſt. Laudantur in ephemeridus litterariis Erlangenſibus, Lipſienſibus, Erfordinis, Hamburgenſibus, Gottingenſibus, atque, quod luculentum teſtimonium de noſtri litteris et vi ingenii eſſe poteſt in *litteris Berolinenſibus de recentiſſimo litteraturae ſtatu*

Carmen in excidium ruinamque Zittauiae d. XXIII. Iul. a. LVII. funditus euerſae. Gorlicii. a. LVIII. 4.

Initium carminis eſt:

Terribiles canimus flammas triſtesque cadentis
Zittauiae cineres, canimus lacrimabile fatum,

Hor-

Horrificam ſtragem, quae nulli cognita ſeclo,
Quam vix poſteritas credet venturaque proles,
Quam ſtupet attonito Luſatia pectore noſtro,
Vt madeant lacrimis etiamnunc ora genaeque,
Patria moeſta, tuae terroreque corda paueſcant.

Hoc carmen a S. R. *Illingio*, ſacerdote in oppido Miſniae *Neuſtadt* prope Bohemiam eleganter in Theotiſcum ſermonem translatum eſt. Quae verſio licet in multorum manibus ſit, typis tamen exſcribi certas ob cauſſas non potuit.

Pro M. T. Cicerone aduerſus Dionem Caſſium et Plutarchum diſſertatio. Gorlicii a. LVIII, 4.

Defenditur Cicero a nimiae gloriae cupiditatis et immodici iactandi ſtudii crimine.

Ad virum doct. et humaniſſ. Io. Chriſtian Reichelium epiſtola, qua de quibusdam ad Homerum pertinentibus diſputatur. Lipſ. anno LVIII. 4.

Praeter alia nouam de Homero opinionem propoſuit. Nempe inueniſſe ſibi viſus eſt maximam inter Herodotum et Homerum ſimilitudinem atque adeo ſuſpicatus, Homeri carmina non admodum longo interuallo ante Herodo-

rodotum ſcripta eſſe. Quare ita ſtatuit. Vixiſſe vetuſtiſſimis temporibus aut quadringentis, vt vulgo tradunt, ante Herodotum annis, Homerum et de ira Achillis atque erroribus Vlyſſis duo carmina condidiſſe: Verum vſum eum fuiſſe antiquo dicendi genere, neque ſatis polite ſcripſiſſe, ſparſis quoque hinc inde carminum partibus. Sed fuiſſe non valde diu ante Herodotum Cynaethum Chium, qui non ſolum Homeri carmina palam recitauerit, ſed ſic quoque mutauerit, ſic obſoleta reiecerit, noua poſuerit, vt quae nunc in manibus omnium ſunt, non tam Homerus, quam Cynaethus, confeciſſe, cenſendus ſit. Hoc confirmare videri cum Euſtathium ad Il. pag. 6. ed. Rom. tum Scholiaſtam Pindari ad Nem. I, 1. et hinc probabile fieri, quoniam et Chii Homerum ſuum ciuem fuiſſe prae reliquis crediderint, et in Chio fuerint ὁμηρίδαι, &c. Ipſe vero tantum huic opinioni tribui vult, quantum tribuendum ſit coniecturae, eo fine prolatae vt ſit maneatque coniectura.

Carminum liber vnus. Lipſ. a. LVIIII, 8.

Laudabatur inprimis, cum haec carmina prodirent, prima oda ad Auguſtum:

Qui nuper populi deliciae tui,
Nunc deſiderium curaque maxima
O noſtrum decus! o noſter Amor! redi,
In triſtem patriam redi.

Qua

Quae non vota facit! quam lacrumat! quibus
Ah! deſideriis illius illius
Auguſti cupidum Saxonis aeſtuat
Pectus! quo pietas, fides,
Terrae fertilitas almaque copia,
Quo praeſente bonum floruit otium,
Conſtans iuſtitiae Pieridumque amor
Et blandum ſtudium artium.
Non ſiccis oculis, notus enim tuus
In cives animus regius, vrbium
Spectabis cinerem, diruta moenia,
Nudasque hoſpitibus domos.
Spectabis fluuios ſanguine turgidos,
Regni rura tui caede tepentia,
Et matrum lacrumas, et gemitum tuae,
Ah! Dresdae lacrumas tuae &c.

Mores Eruditorum. Altenburg. a. LX. 8. Verſio huius libri faceti et ſatyrici Theotiſca ab anonymo edita fuit Berolini a. LXI, 8. quae tamen neque elegans ſatis eſt, neque accurata

Genius Seculi. Ib. eod. anno.

Horum libellorum fuit illud fatum, quod omnium eſt, in quibus libere iudicatur de viris doctis. Emti ſunt auidiſſime, ita vt fere numquam ſufficeret copia exemplorum: interpretationes varias ſunt experti, ſuoque auctori parum iucundas, a plerisque laudati ſunt valde. Prodiit tamen contra hos *Somnium, in quo prae-*

praefat. ad *Ridicul.* litter. pag. 9. ita ſcripſit cl. Klotzius. *Denique contra me prodiit Somnium, cuius auctorem non aptiſſimum fuiſſe ad iocandum, Latinarum elegantiarum omnino imperitum et improbum bonorum virorum irriſorem non opus eſt, vt pluribus oſtendam, praeſertim quum iudicium de inimico mihi homine non ſatis habere auctoritatis alicui videri poſſit. Sed fuerunt tum multi, qui ita ſentirent, ſibique, perlecto ſomnio illo, in mentem veniſſe narrarent mihi, quod eſt in prouerbio: abi in cellam tuam et ſomnia melius. Conſtitueram quidem punire hominem, qui hoc operam dediſſe videbatur, vt maculis meae vitae integritatem adſpergeret, atque propulſare tam atrocem iniuriam. Verum quum audirem auctorem Somnii eſſe hominem quemdam tum Lipſiae ſtudiorum cauſſa commorantem nunc ludi magiſtrum neſcio, in quo angulo, eumdemque pauperem et miſerum, nolui ſiue hunc honorem habere terrae filio, ſiue miſelli famae et ſaluti officere. Videbam enim, mihi multa dicenda eſſe de turpitudine vitae, de agreſtibus moribus, de malis, quas homo prae ſe ferebat, quasque ipſa parum liberalis facies indicare videbatur de ſanctiſſimae noſtrae religionis doctrina opinionibus. Quare peperci iſti.*

Opuſcula poetica. Ibid. a. LXI. 8. Continent odas XXIII. Satyras III. et totidem Elegias, quarum in vltima Muſis valedixit.

Extremum hoc, Muſae nobis concedite carmen,
Extremum vobis vota precesque fero —
Nunc Cytherea vale, Charites tenerique lepores
Tu, mi Flacce, vale, Tuque, Tibulle, vale
Nil mihi cum calamis cum cytharisque mihi.
Nil mihi vobiscum nec erunt mihi carmina curae,
At ſaltem, Muſae, ne veſtrum ſpernite amicum,
At ſaltem memores nominis eſte mei:
Et ſacro in Pindo, (noſtro concedite amori)
Hoc habeat carmen parua tabella meum;
Quem luco hoc nimium prohibebant ferrea fata,
Klotzius hoc luco viuere dignus erat.
Quid moror vlterius? vultu dextraque feroci
*Frango leues calamos: Frange Thalia lyram.**
Oratio pro Lipſii Latinitate, Ienae in conſeſſu

* De Satyris *Klotzii* quam praeclare hinc inde iudicauerint viri docti non opus eſt, ut repetamus. Vnum afferamus locum ex *Critiſch. und zuverläſſig. Nachr.* T. II. P. 4. p. 378. ubi *Ridicula litteraria* recenſentur. Wir *dürffen dieſe Schrift nicht lange anpreiſen. Der Nahme des Verfaſſers iſt ihr zur Empfehlung genug. —— Man erkennet darinn überall den ſinnreichen Geiſt, der zur Satyre gebohren iſt, und der noch dabey eine Sprache redet, die zu unſern Zeiten ſo ſehr wenig geachtet*

ſeſſu Societatis latinae d. XX. April. LXI. a. recitata. Ien. 8.

Non hac egit cl. *Klotzius*, vt commendaret ſtilum Lipſii, quod nonnulli opinati ſunt, ſed vt oſtenderet cauſſas, cur male a multis vituperetur, et, licet Lipſii proprium, tamen bonum et latinum illum eſſe demonſtraret. Sed vt eo melius orationis, ſat auide lectae argumentum lectores intelligant, ex *Commentariis* latinis *Altonanis* a. 1761. libell. 20. p. 158. cenſuram excerpamus. Ibi igitur dicitur: Aditialis eſt oratio, qua primum eruditionis ſtilique elegantioris ſpecimen academiae Salanae exhibuit, qui apud Lipſienſes iam inclareſcere coeperat, doctiſſimus *Klotzius*. Emi-

tet und verſtanden wird &c. Alle ſeine Schriften, ſo wie auch die gegenwärtige, haben die löbliche *Abſicht, die Blöße unſerer Zeiten aufzudecken. Kein Wunder alſſo, daß alsdann viele gute Männer toben! Ein ſolches Genie durchdringet alles bis aufs innerſte: vor ihn verſchwindet das biunde Flittergold, das Kurzſichtige ſo ſehr blendet; ihn hält nichts auf, und er ſiehet die Geſtalten, ſo wie ſie ſind. Daher entſtehet das Anmuthige, das ſeine Wercke belebt und ſie ſo beliebt macht. Denn alles, was er bemerkt hat, trägt er ſehr frey in einer vortreflichen Sprache vor, und alles was er bemerkt hat, iſt lächerlich. Warlich ein Schriftſteller, der den Beyfall aller Vernünftigen verdienet. Tacemus alia, etiam honorificentiora.*

Eminent in Lipſii reprehenſoribus Scioppius, Henr. Stephanus, Rol. Mareſius, Voſſius maior et Morhofius. Quorum ita auctoritatem, et in hoc quidem genere, iudicium eleuat orator, vt non magnopere nocere debuiſſe Lipſio euincat. Scioppio nec Ciceronem ipſum ſatis Latine ſcripſiſſe viſum; cumque homines recentioris memoriae ſummi ab eo exagitati fuerint, mirum haud eſſe, ſi Lipſio non pepercerit. Reliquos ampla quidem eruditione praeditos, neque tamen eos fuiſſe, quorum exiſtimationi permitti elegantioris ſtili Latini cenſura poſſet. Horum tamen aliorumque reprehenſionibus factum, vt Lipſii oratio in prouerbium paene abiret, et inepta etiam haberetur ab his, qui eius ſcripta non legiſſent. Primam reprehendendi Lipſii cauſſam inde natam cenſet auctor, quod ab illa Ciceronianorum natione ſeceſſionem putarit faciendam, tametſi liberam et ingenuam imitandi rationem probaret. Quodſi proprium ſibi et ſingulare dicendi genus confinxiſſe Lipſium dixeris, neminemque quem imitaretur, habuiſſe, facile putat oſtendi poſſe, Lipſium ad Senecae ſe Tacitique rationem et ingenium potiſſimum conformaſſe, ſed ita vt non ſerviliter ſe adſtringeret. Qua occaſione, veterum imitatio quomodo inſtituenda ſit, praeclare docet. In Lipſii ſcriptis nullam reperiri vel vocem vel loquendi formulam, exi-

ſtimat

ſtimat, quin probari bono aliquo auctore queat. Hinc nominatim perſequitur, quae Lipſiano ſtilo obiecta vitia fuerunt. Breuitatem praecipue ſecutus eſt Lipſius, ſed tum, cum ipſum argumentum eam pateretur. Archaiſmis vſus eſt verbisque paullo obſoletioribus, ſed raro et elegantiae cauſſa, in libris, quibus res antiquas et criticas, exponeret, in epiſtolis ad amicos qui ab eiusmodi ratione non abhorrerent. Facilius etiam abſtergi poſſe obſcuritatis vitium videtur, et excuſari illud, quod Graeca multa et poetarum hemiſtichia immiſcuerit. Fuiſſe concedit, qui imitando Lipſio a vera Latinitatis via longius abirent, ſed ipſorum hoc, non Lipſii culpam eſſe. Denique ſtili Lipſiani veluti effigiem quamdam ponit, quaeque a ſe dicta ſint, non ad orationes Lipſiii ſed ad reliqua etiam ſcripta pertinere confirmat. Ceterum ita conſcripta eſt oratio Clar. *Klotzii* vt elegans iudicium, interior rerum antiquarum cognitio, cultiſſimumque, et Romanum dicendi genus appareat.

Libellus de minutiarum ſtudio et rixandi libidine Grammaticorum quorumdam. Ienae a. LXI. 8.

Animaduerſiones in Theophraſti characteres Ethicos. ibid. 8.

Emendantur quaedam loca pulcerrimi libelli quarum emendationum principalis haec eſt,

 quod

quod in capite XVIIII. καὶ εἰς δρυιδοσκάπου &c. haec male a ſcriba eſſe transpoſita obſeruauit, docuitque, ea ad cap. XIIII. poſt σοι γένοιντο collocanda, illius vero capitis finem in ἐξελθεῖν faciendum eſſe docet.

Oratio ſolemnis de dignitate, iucunditate et vtilitate ſtudiorum humanitatis. Ienae die natali Societatis latinae recitata. ibid. 4.

Oratio panegyrica in diem natalem Sereniſſ. Principis Vinariens. Annae Amaliae. ib. 4.

Antiburmannus. Ienae 8. et in Belgio rec. 4. De hoc libro iam multa diximus in vita *Burmanni*. Litibus, vt paucis repetamus, his ita immixtus fuit *Klotzius*. Cenſuram fecerat *Anthologiae* Burmannianae in *Act. Eruditorum*, vbi et laudauerat *Burmanni* conatus, et ea contra conuicia, in *Acta* iacta, dixit, quae dicenda erant. Neque tamen maiorem tempeſtatem timebat. Paullo poſt prodiit *epiſtola theologica Burmanni* in qua de auctore cenſurae *Onomaſtici* a *Saxio* editi dicit: *mulum mulum fricuiſſe*. Hoc igitur elogium quoniam nullo modo promeruiſſe ſibi videbatur, tum etiam, quia vix poterat ferre diutius atrocitatem iniuriarum, quibus popularem *Saxium* adficeret, edidit hunc libellum, cuius capita duo ſunt, quorum altero faſtum et petulantiam *Burmanni* caſtigare, altero ignorantiam et ſtuporem demonſtrare allaborauit. Contra hunc libellum edidit

dit *Burmannus Antiklotzium*, de quo ſupra iam diximus.

Diſſertatio *de felici audacia Horatii* anno LXII. 4. Nempe fundamendi quaſi loco poſita ſunt verba *Quinctiliani : At Lyricorum idem Horatius fere ſolus legi dignus. Nam et inſurgit aliquando et plenus eſt iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis feliciſſime audax.* Obiter explicantur et emendantur difficiliora quaedam loca.

Elegiae. Ib. 8.

Sunt elegiae XII. et tres Odae in reditum Principis iuuentutis Saxonicae. Primae initium eſt:

Extolle flammis et cinere horrido
Extolle, felix Dresda, tuum caput,
Feſtisque tandem, Dresda ſertis
Cinge comas varioque flore.
Procede muris: aduenit, aduenit
Fridricus: vlnas pande et amabilem
Complexa Fridricum inter alta
Vota, preces hilaresque cantus
Interque plauſus mille humeris tuis.
Laetis Ducem infer moenibus optimum:
Effunde flores ſparge ſerta,
Sparge vias roſeo imbre florum.

Pleraequa elegiae habent querelas de calamitate Saxoniae. In prima deploratur euerſio Dresdae, illiusque finis hic eſt:

At tu, Dresda, audi, vatem non vana loquentem,
Auctore hoc dico vaticinorque deo:
Non ſecus ac vitam Phoenix ſibi funere quaerit,
Et cinere e proprio pulchrior exit auis:
Sic etiam ex illis ſurges tu Dresda ruinis,
Pulcrior et cunctis partibus ampla magis:
Numineque Auguſti reuocata in culmina priſca,
Donec erit tellus, ſplendida et inclyta eris.

Ex his praeſertim elegiis eſt confuta Burmanni elegia centonaria in *Antiklotzio*, de qua etiam ſuo loco diximus. Sed operae multa peccarunt, quae cl. *Klotzius* omnia indicauit vna cum emendationibus locorum quorumdam typographi vitio corruptorum in *opuſcul.* in *zuverläſſigen und critiſchen Nachrichten &c.* Ienae a. LXII. Tom. II. P. II. In epiſtola ad cl. *Hommelium* fata Muſae ſuae enarrauit. In *Commentar. Altonanis.* a. 1762. lib. 38. p. 310. dicitur: *Quod ſe a facilitate Ouidiana longius forte abeſſe dicit, agnoſcimus viri modeſtiam, quem poetam non factum ſed natum ipſa carmina ſatis probant.*

Funus Petri Burmanni Secundi in Belgio 4. atque *Altenburgi* 8. quae editio etiam emendatior eſt. Proponuntur hoc libello ſequentia: I. Praefatio in qua mors Burmanni deploratur.

II.

II. Epiſtola medici Amſtelaedamenſis ad editorem. III. Teſtamentum Burmanni. Non oblitus eſt ſui *Klotzius* nam pag. 11. ſcribitur. *Klotzius meus exhaeres eſto. Si etiam verſibus me laudauerit C. exempla illius particulae Actorum Traiectinorum, vbi Antiklotzium minatus ſum, ei data donata ſunto.* Nam haec particula, ſparſaeque ibi minae cauſſa fuit, cur hoc Funus ederet: IIII. Elogium a ſodalibus monimento aeneo inſculptum. Adſcribemus illud, quoniam libellus forte non omnium in manibus eſt:

Petro. Burmanno. ſecundo. Humanitatis. Elegantiae. et. verae eruditionis. exemplo. ſacrorum. Diuae. Eridis. et. Diuae. Lauernae. antiſtiti. ſanctiſſ. Faunorum. Familiari. Magiſtro. bibendi. Incomparabili. Satyrico. et. Verſificatori. Facetiſſ. criticorum. Regi. TERribili. qui. tota. vita. nihil aliud. egit, quam. ut. ſibi. omnium. amorem. conciliaret, ſuo. exemplo. docuit, quomodo. aliorum. ſcrinia. ſollerter. compilare. poſſimus. Saepe. in. Certamen. cum. multis. deſcendit. unde. nunquam. inferior. diſceſſit. ob. admirabilem. in lacerandis. aliis. peritiam. ob. tot. ſcyphos. feliciter. exhauſtos. quot. alius. vix. vidit. Poſuer. Compotores. Byrgopolinices. Zythophilus. Miphio. Grumio. Vale. Et.

 ſal-

ſalve. anima. Fortiſſ. Bacchus. tibi. bene faciat. nos. eo. ordine. quo. crapula. permiſerit. te. ſequemur. Vale. Magiſter. Dulciſſ. Bene. valeas. qui. legis. rogamus. per. deos. inferos. atque. ſuperos ne. hunc. diem. ſobrius. agas. qui. ſecus. manes. ſentiet. iratos.

V. Milphionis oratio de laudibus Petri Burmanni Secundi ad compotores. VI. Ludi magiſtri Santhorſtiani carmen in obitum *Burmanni*. Initium eſt:

O coelum! noſter dominus,
Petrus Burmannus Secundus
Eſt mortuus, vt vnus meus.
Quid nos incipiamus?
Cum quo nos nunc bibamus?
Ni Petrum noſtrum Dominum ni Petrum habeamus?
Habebat multos cyathos
Habebat ſcyphos vitreos
Et calices argenteos.
Sic eſt. ſic omnia ſunt vana,
Sic vita aufugit humana,
Diſceſſit noſter Dominus, disrumpitur vt rana.
Ille bibebat fortiter,
Et tonans terribiliter
Exhauriebat bis et ter
Vnam magnam lagenam,
Quam dicebat Hippocrenam,

Nam

Nunc dedit noſter Dominus, nunc dedit
morti poenam.

O caſum, caſum miſerum,
O mortem duram nimium,
Quae rapit noſtrum Dominum,
Non mors dicebat, mi ſecunde,
Vt ſolitus es vinum infunde,
Clamabat voce horrida, ad orcum orcum i
ſecunde, *&c.*

Ipſum vero *Burmannum* ita deplorat: *At tu, magne heros, qui tot praeclariſſimis rebus geſtis, tot venenatis telis in miſerorum corpora miſſis, tot hominibus vexatis omnibus modis, tot ſcyphis exhauſtis, tot cantharis exſorptis, terras reliquiſti ſalue mihi et ave. Iterum, magne Burmanne, ſiue nunc ſirium incolis, cuius vim ſaepe expertus es olim, ſiue inter fulgentia in fronte tauri ſidera ſedem occupaſti, mihi ſalue. Nos quidem ob ſumma tua de litteris merita famae Tuae gloriaeque immortalitati, quantum potuerimus, conſulemus. Nam et appellabimus ſtellam quam petiiſti (petiiſti vero procul dubio Sirium)* Burmannum Secundum, *et tibi ad ripas Salae ſtatuam e quercu affabre factam inter vepres, ſentes et ſpinas, non quaſi Priapo alicui, ſed tanquam numini rureſtri et ſilueſtri ponemus. Vos autem reliqui nominis Burmanniani cultores, dolete mecum perituras litteras: plorate immaturam noſtri delicii mortem: facite tumu-*

tumulum: nectite ex vrticis ſerta et nuces amaras ſpargite.

Ridicula litteraria. Altenb. 8. I. Laus Metaphyſices in conſeſſu Metaphyſicorum recitanda. II. Dialogus in antiquarios ineptos. III. Fabula. IIII. Deſcriptio Philoſophi, qui totam vitam ignotus et pauper egit atque fame tandem periit. V. Myſteria ſcriptorum ephemeridum litterariarum. VI. Exemplum Epiſtolae, qua Naeuius librum ſuum litterariarum ephemeridum ſcriptori commendat. VII. Varia. nempe has ſatyras ſeruauerat ex compluribus, quas olim moroſus nimium in flammas coniecit, qua de re eſt carmen in Elegiis pag. 25. vbi inter alia:

Quid mea dextra tremis? blandum tandem exue patrem
Aude agedum, Klotzi, ſaeuus et eſſe ferox ——
Actum eſt. Iam chartas crudelis corripit ignis.
Vertit et in cinerem (nec gemo) ſcripta mea.
Plaudite! rem magnam perfeci. plaudite et altum
Pectus et inuictum tollite ad aſtra poli.

Pari modo etiam in Odis p. 51. canit:

*Gratum levamen * ſollicitudinum*

Dul-

* Hic mirari lubet, cur cum *Klotzius* in praefat. Eleg. p. 11. ſcripſerit: *V. odam extremam.* Sed *ibi*

Dulce et iuuentae delicium, lyra,
Te nunc dolens ſuſpendo Phoebo,
Teque manu trepida camoenis. ——
Nunc me puellas me Veneris iocos,
Flacci ſonoros me miſerum modos
Meque antra grata vmbramque Pindi
Dura vetant meminiſſe fata.

Ex odis inprimis illa laudatur, vbi p. 7. de virtute canit, cuius initium:

Eſt ipſa virtus dos ſibi maxima
Quae nulla quaerens praemia, quaeque opis
Mortalis immunis ſua vi
Seque ſuumque decus tuetur.

Paucis interiectis pergit:

Sis mente conſtans nec tibi conſcius
Sis poenitendi conſilii, et tuus
Sis veritati addictus vni,
Intrepidusque deae ſatelles

Tandem ſic definit:

Et crede ſurget ſerius, ocyus,
Sed, crede, ſurget lux rutilo polo,
Virtutis aſſertor grauisque
Opprobrii metuendus vltor
Tunc fulgurantem luce videbimus
Intaminata, quam miſerabilem

Cun-

ibi error typographicus i GRATVM LENIMEN *corrigendus eſt ſic:* GRATVM LEVAMEN, tamen *Burmannus* in Antiklotzio hoc peccatum, vt putat graviſſimum irriſerit.

Canctisque ſpretam, quamque fletu
Saepius hic madidam videmus *

Diſſertat. *de nemoribus in tectis aedium Romanarum* ib. 4.

Oratio Ienae d. XI. Sept. a. LXII. recitata. Accedit epiſtola ad viros doctos in Germania. Ien. 4. recuſ. in Belgio. 4. In illa academiae Ienenſi vale dixit, in hac cauſſas expoſuit, cur nihil contra *Antiklotzium* ſcribere velit. Nos ex hac in vita Burmanni multa excerpſimus. Quare

* De carminibus *Klotzii* ita iudicat Dominus illuſtris *de Breitenbauch* in *Bucoliſchen Erzaehlungen und vermiſchten Gedichten 1763. p.* 297. vbi ita eum alloquitum:

Doch dir gab Phoebus ſelbſt das Feuer muthger Geiſter,
Das dich gleich ſtarck belebt; du folgeſt deinem Meiſter,
Mit immer gleich erhabnem Schwung;
Es ſey, daß du vom Scherz der holden Schönen thöneſt;
Es ſey, daß deinem Spiel ein Lobgedicht gelung,
Das du zum Schmeicheln nie gewöhneſt.
Beſinge würdig einſt der Tage heitre Blicke,
Die bald Auguſtens Huld, kommt er zu uns zurücke,
Den bangen Fluren wiederſchenkt:
Sing die gedaempfte Wuth der unbarmherzgen Krieger,
Der Künſte Wiederkunft, die Fried und Ruhe traenkt
Und die durch Blut erföchtne Siege.

In

Quare plura de illa dicere ſuperfluum videtur.

De populari dicendi genere proluſio. Gottingae 4.

Ora-

In *Nouis Litter. Lipſ. et litteris Berolinenſ. felix Horatii imitatio* noſtro tribuitur et in *Critiſch. und zuverläß. Nachr. T. II. P. 3.* haec leguntur: *Sie ſehen ihn iezt als einen Dichter. Aber man darf nicht meinen, daß er hier gefallen iſt. Nein! hier werden ſeine Talente noch ſichtbarer. Schon in einem zarten Alter zeigte ſich ſeine Neigung zur Dichtkunſt. Er verfertigte ein Gedichte auf die Zerſtöhrung der Stadt Zittau, wodurch er ſich den Beyfall vieler Kenner erwarb. Nach einigen Iahren gab er Carminum liber unus heraus, in welcher Sammlung das erſte Gedicht an des Königs in Pohlen Majeſtät ein Meiſterſtück iſt. —— Man braucht nur eine Ode zu leſen, um ſich zu überzeugen, daß er ſich den Horaz zum Muſter gewaehlt habe. Aus der genauen Bekanntſchaft mit dieſem römiſchen Dichter hat er die groſſen Gedanken den kühnen Schwung, die Lyriſchen Wendungen und den edlen Ausdruck erlangt, und zuweilen ziemlich deutlih erborgt. —— Kann man wohl etwas höberes dencken, als was der Dichter S. 24. ſagt —— Iſt dies nicht das Feuer, welches die Leyer des* Alcaeus *und* Tyrtaeus *belebte? Iedes Wort hat hier ſeinem Nachdruck, und jeder Gedanke iſt ein Zeuge von der groſſen Denkungsart des Dichters. —— Wir getrauen uns mit Wahrheit ſagen zu können, daß unter den lateiniſchen Dichtern dieſes Iahrhunderts wenige dem* Horaz *ſo glüklich nachgeahmt haben, als Herr Prof. Klotz.*

Oratio Profeſſionis Philoſophiae in Academia Gottingenſi extra ordinem adeundae cauſſa d. XV. Nou. a. LXII. habita. 4.

Diſſertat. *de verecundia Virgilii.* Ib. a. LXIII. Accedunt excurſus tres I. examinantur mores paſtorum Virgilii. II coniectura, quomodo factum ſit, vt inter ſcriptorum ſacrorum et profanorum verba ſit tanta ſaepe ſimilitudo. III Loca quaedam in eclogis Virgilii emendantur, et illuſtrantur.

Miſcellanea Critica. Traiecti Batau. 8. In hoc libro emendantur Minucius Felix, Sulpicius Seuerus, Aurelius Victor, Mallius Theodorus de metris, alii explicantur: de locis quibusdam Horatianis et Fragmentis Nepotis a cl. *Heuſingero* editis ſententia dicitur. Variae lectiones Thebaidos Statii e codice antiquo Lipſienſi, vna cum notulis exhibentur.

Tyrtaei quae reſtant omnia. Bremae 8. Primus *Klotzius* ſeparatim edidit, et commentario ea illuſtrauit: collegit etiam plura quam omnes reliqui. Commentarius eſt valde copioſus, habetque etiam aliorum auctorum emendationes, vt Pindari, Plutarchi, Inſcriptionum antiquarum &c. Multae ſunt animaduerſiones poeticae, Grammaticae, hiſtoricae. Praefixa eſt diſſertatio de Tyrtaeo.

Vindiciae Horatianae Bremae 8. Defendit Horatium contra *Harduini ineptias:* vna vero commentarium dat in carmina poetae. Diſputantur

tantur multa de lectionibus, de virtutibus poete: quaedam etiam de re numismatica traduntur. Qui Horatium amant, iis hic liber erit iucundus.

Praeter ea cura eius emendata notisque illuſtrata in lucem prodibunr Martialis atque Anacreontis carmina et Tyrtaei et Simonidis fragmenta.

Scripſit quoque non pauca, quibus nomen *Klotzii* non praefixum eſt. Sic.

I. In ephemeridibus litterariis quae Gollnerus Ienae edidit ſub titulo: *Zuverläſſige und critiſche Nachrichten* propoſuit plures librorum recenſiones, quibus tamen prima, interdum etiam vltima nominis eius littera adſcripta eſt.

II. In *actis eruditorum* propoſuit fere CC variorum librorum cenſuras, inde a menſ. Iul. Iul. a. LVIII. Quare etiam Academia Vittembergenſis in litteris publice propoſitis, quibus Magiſtri honores obtulit, praeter conſuetudinem ita ſcripſit: *Ob praecox ob ingenium, praeclaram virtutem, ob foras data ſcripta complura et ducentas prope varii generis librorum recenſiones Actis Eruditorum Lipſienſium inſertas haud exiguam famam inter eruditos conſecutum.*

Praeterea nulla, ne tenuiſſima quidem, mercede accepta ſed ſolius ill. *Bellii* gratia illum laborem in recenſendis libris moleſtum ſaepe et iniucundum, (praeſertim quum libros ab eius ſtudiis omnino abhorrentes, legere deberet,) ſuſcepit. Quod ideo monendum eſt, quoniam

quidam *Klotzium* victum hoc ſibi labore comparaſſe putare videntur.

III. Recenſuit etiam in *Nouis litterariis*, quae Lipſiae ſermone vernaculo eduntur, varios libros, qua re varias ſibi contraxit moleſtias. Vt vnum afferam exemplum, monuerat quaedam contra diſſertationes, quae cl. *Vuilkius*, nunc Profeſſor Graecae linguae apud *Vuittebergenſis*, de ſublimitate ſacrorum ſcriptorum ſcripſerat, multaque auctorem e *Bergeri* libris deſcripſiſſe, notauerat. Hic in *actis diurnis Hamburgenſibus* acerbiſſimum atrociſſimumque in noſtrum fecit impetum, conuiciaque et minas in omnibus lineis ſparſit. Sed noluit quidquam reſpondere, non timore, ſed quia ſecum conſtituerat, quum primum ad cenſuras librorum ſcribendas accederet, et liberrime de quoque ſententiam dicere, et nullius ſiue defenſioni ſiue conuiciis reſpondere. Liticulam etiam habuit cum Cl. V. *Iacobo Friederico Heuſingero*, Gymnaſii Guelpherbytani Rectore. Hic. a. 1759. edidit, *de Nepote Cornelio bene merendi ſubſidia aliquot bibliothecae Guelpherbytanae:* In quo libello fragmenta quaedam Nepotis profert, quae *Klotzius*, cum in *Actis Erud. Lipſ.* recenſeret, non Nepote digna et recentioris aetatis cenuit. Tum *Heuſingerus*, a. 1760. edidit libellum, in quo *Fragmenta Cornelii Nepotis Guelpherbytana a cenſoria Lipſienſis Critici Virgula vindicat.* *Klotzius* his re-

reſpondit in *Miſcellaneis Criticis* ſuis ita, vt humaniſſime tractaret *Heuſingerum*, etſi aliquoties laceſſitus.

IV. Etiam ad *Goettingiſche gelehrte Anzeigen* ſymbolam contulit confertque.

V. Exſtat etiam diſputatio *Klotzio* praeſide habita a. *Io. Georgio Iacobi*, d. 24. Sept. a. 1763. Gottingae, et inſcripta: *Vindiciae Torquati Taſſi.* Defenditur contra illa Boelai: *le Clinquant du Taſſo &c.* et varia loca Itali illuſtrantur.

VI. Epiſtola quoque *Klotzii* ad cel. *Hommelium*, ſed truncata et lacreata, legitur in *Noua Sylloge Epiſtolarum varii Argum. Norib.* T. IV.

CHRISTOPHORVS SAXIVS.

A. A. M. et Profeſſor ordinarius Antiquitatum et humaniorum litterarum in Academia Traiectina, Societatis latinae Ienenſis collega.

Saxius natione Germanus, natus eſt *Eppendorfii*, qui pagus inter Chemnizium et Freybergam in Saxonia ſitus eſt, anno huius ſaeculi XIIII. die XIII. Ianuar. patre M. I. *Chriſtiano Sachſio*, ſacerdote Eppendorfii et minoris Hartmansdorfii; matre autem *Margaretha Chriſtina*, e gente Hornigiana. A me diuerſius litteris ſcriptum eſſe patris et filii nomen, erunt forte, qui mirentur. Quare de hoc

quaedam monenda mihi videntur. Noſter a pueritia et, quum iam adultus eſſet librosque ederet, ſe *Chriſtophorum Gottlob. Sachſium* nominauit; quo nomine inſignitus in albo academico Lipſienſi, in quo d a. XXXV. a *Friedr. Menzio* relatus eſt, et in programmate, *a Ioanne Chriſtiano Lehmanno*, *Saxio* aliisque laurea philoſophica ornatis, nomine ordinis Philoſophorum edito, et in magiſtrorum panegyrico a *Friedr. Menzio* eodem anno conſcripto. Ipſe denique noſter ſe ita adpellauit in diſputatione, quam praeſide *Chriſtio* ventilauit. Poſtea tamen, ſuaſore *Chriſtio*, qui in nomine *Sachſii* litterarum poſitionem latinam ſatis non eſſe, in litteris ad noſtrum ſcripſerat, atque exemplis aliorum virorum commotus leuiſſimo diſcrimine *Sachſium* in *Saxium* commutare coepit, *omiſſo ſimul*, vt ait noſter in epiſtola ad *Burmannum*, *deinceps praenomine Gottlob*, *non Gottlieb*, *vtpote quod mere Alemannicum nulli aliorum gentium ſermoni*, *multo minus latino accommodari poterat*. Poſt ſuſceptas a *Burmanno* cum *Saxio* inimicitias quum iſte nominis mutationem neſciret, atque, *Saxii* inimicus *Sachſium* laudaret, quod non ſolum *Gesnerus* ſuauiter riſit, ſed *Klotzius* quoque iocoſe irriſit meliusque docuit *Burmannum*, hic *Saxium*, neſcio cuius criminis accuſauit, lite nominis in aduerſarium illata, negans in *Antiklotzio*, vnum et eumdem hominem *Saxium* eſſe et *Sachſium*. Vnus tamen idemque

eſt

eſt *Ioſeph. Antonius Saxius*, Mediolanenſis, qui rationem pronuntiandi et ſcribendi gentis ſuae imitaturus ſe quoque *Guiſeppa Antonio Saſſi* nominauit. De hominibus huius nominis eruditis eleganter egit *Stoſchius* in *neuen gelehrten Europa* Part. XV. pag. 709, quem quidem auctorem in enarranda *Saxii* vita ſequemur, ſed ita, vt multa emendemus, multa addamus.

A patre ipſo litteris graecis et latinis, quarum ille egregie peritus fuit, erudiebatur. Poſtea Chemnizium miſſus in huius vrbis ſchola *Mullero* et *Gublingio* vſus eſt praeceptoribus. Poſt vnum annum et ſex circiter menſes quum Miſniae in ſchola, quam vocant electoralem, beneficium publicum ad ſtudia litterarum continuanda impetraſſet, eo commigrauit, et *Martium*, *Silligium*, *Grabnerum* et *Kauderbachium* habuit magiſtros. Quamuis poſt quatuor annos transactos principem teneret locum, quem aemulatione cum condiſcipulis laudabili et diligentia obtinuerat, atque adeo aptus eſſet audiendis ſcholis academicis, tamen, quia ex lege publica quilibet huius ſcholae alumnus ſex annos in hoc ludo conſumere debet, duo reliquos annos, *Martio* et *Grabnero* eum antiquitatem, hiſtoriam atque oratoriam priuatim docentibus, litteris hic tribuit. Ob hanc induſtriam euenit, vt, quod ſingulare fuit, in academiam abeuntem non ſolum praeceptores, ſed etiam ſenatus facer ſupremus Dresdenſis

 lau-

laudibus ornarent, ſpe praemii virtutis diligentiaeque facta.

Hac laude mactatus a. XXXV. Lipſiam profectus eſt, vbi philoſophiae, quae a reſtauratore atque emendatore dicitur Vuolfiana, eoque tempore maxime floruit, plurimum operae ſtudiique primo tempore conſecrauit. Quia vero ſcripta et veterum et recentiorum philoſophorum diligenter verſauit, effecit, vt non ſolum in verba magiſtrorum non iuraret, ſed iudicium quoque vel in legendis omnibus libris illo philoſophiae ſtudio acueret. Atque valde errant, qui putent, nullum eſſe vſum philoſophiae in iurisprudentia et litteris elegantioribus. Hinc perturbatio illa rerum et confuſio verborum in libris multorum, qui hodie videri cupiant eruditi, qui, quum ipſi nihil poſſint cogitare, ſcrinia aliorum compilant, et lectores, cumulatis peregrinorum, praeſertim veterum, teſtimoniis defatigant, et laureolam quaſi quaerunt in muſtaceo. Huius peccati et philoſophiae contemtus adcuſatus eſt a multis litteratus ille *Salmaſius*, cuius quidem eruditionem atque induſtriam pauci noſtrorum philologorum aequant. Sed noſtra quoque aetate multi, qui *Cicerones* adpellari volunt, et, ſi DIs placet, gloriantur, eiusdem culpae ſunt arguendi. Ad *Saxium* vero vt redeamus, ille ab horrida atque auſtera horum homuncionum et dicendi et ſcribendi ratione valde abhorrens,

rens, in philoſophia omnem operam ſtudiumque tum poſuit; poſtea tamen antiquitatis, litterarum graecarum et latinarum, poeſeos, et hiſtoriae litterarum amore adeo captus eſt, vt litteris humanioribus omnem aetatem dare decerneret. Amor ille diſciplina *Chriſtii*, quem ſibi exemplum ad imitandum propoſuerat, et conſuetudine cum *Menkenio*, in cuius aedibus habitabat, quo commodam nactus erat occaſionem ampliſſimam eius bibliothecam frequenter adeundi, magis inflammatus eſt.

Vix vnum annum Lipſiae vixit, quum iam a. XXXVI. contingeret, vt, duobus comitibus *de Bunau* curae eius traditis, peregrinarum linguarum notitiam opportune ſibi compararet, aliosque, quae didicerat, doceret. Hac ratione allectus vt eligeret Academiam vitam ſub moderamine praeceptoris ſui *Chriſtii* diſputationem habuit quae ſic eſt inſcripta:

Vindiciae ſecundum libertatem pro Maronis Aeneide, cui manum Io. Harduinus nuperus aſſertor iniecerat. Lipſiae a. XXXVII.

Huic libello praeter alios viros eruditos plauſit cl. P. *Burmannus Secundus*, quod quidem non ſine cauſſa moneo. Hic enim in praefatione ad *Virgilium*; *Eius vero* (*Io. Harduini,*) inquit, *impetum et faſtum iam peculiari diſſertatione contudit in Germania doctiſſimus Sachſius, in vindiciis pro Maronis Aeneide contra Harduinum Lipſiae editis.* Promiſit quidem cl.

Saxius, pari modo vindicias pro *Horatio* conſcriptas ſe editurum eſſe, quarum vnam plagulam iam typis exſcriptam vidimus, ſed mutauit conſilium, quoniam de nouá *Horatii* editione ſecundum *Baxteri* exemplar adornanda cogitabat, vbi furenti *Harduino* medicinam facere, eiusque impetum reprimere ſecum conſtituerat. Ab hoc tamen conſilio, quum ille, qui ſumtus praeberet, moras necteret, curaque Comitum et crebra itinera cum illis facta omne ei tempus aufferrent, poſtea deſtitit. Neque tamen, quas ſibi collegerat ex codicibus *Cortii* aliorumque, variae lectiones perierunt. Has enim cum *Gesnero*, cui praeſtantem Venuſini poetae editionem debemus, poſtea communicauit.

Inter ea autem *Saxius* a. XXXVIII. honores magiſtri academici conſequutus eſt, a quo tempore, quum *Menkenii* vteretur familiaritate, in ephemeridibus litterariis, nouisque Actis eruditorum et miſcellaneis lipſienſibus ab an. XXXVIIII. vsque ad XXXXVII. multos recenſus librorum, qui ad hiſtoriam, antiquitatem et criticam artem pertinerent, confecit. Atque in illis actis a. XXXXIII. m. Mai. pag. 247. defendit *Gesneri* editionem ſcriptorum rei ruſticae a criminationibus et iniuriis *Iul. Pontederae*, Profeſſoris Patauini, cuius defenſionis ea fuit inſcriptio. *C. S. A. M. Apologia pro celeberrimo Ruſticorum latinorum editore.*

Pari

Pari modo in miſcellaneis Lipſienſibus * detexit falſas argumentationes, diluitque criminationes Franco-Galli cuiusdam, qui in libello: *Diſſertation ſur l'incertitude des cinq premiers ſiecles, de l'hiſtoire Romaine* inſcripto, Dionyſium Halicarnaſſeum, Liuium, ipſamque antiquiſſimam Romanorum hiſtoriam ſuſpicionem falſi incertique habere, ſatis audacter conatus eſt affirmare. *Saxii* autem defenſionis hic titulus eſt: ἐπίκρισις φιλολογική *ſeu ſtricturae in nuperum Franci cuiusdam libellum de incerto hiſtoriae Romanorum antiquiſſimae* ** Iſte quidem Gallus nouam opuſculi editionem curauit, ſeque defendere ſtuduit. At cl. *Saxius*, quamquam omnia, quae aduerſarii inſcitiam linguae latinae pariter atque graecae ſatis oſtendere poſſent, iam parata atque elaborata in chartam coniecerat, huc vsque tamen ea nondum iuris publici fecit, ſed in aliud diſtulit tempus magis commodum.

Eo tempore, quo *Saxius* in tuenda veterum fama verſabatur, inſtitutione eius iuuenis ob mo-

* Vol. I. P. I. pag. 40-79. vol. II. P. III. pag. 409-495. vol. II. P. IIII. pag. 620-712. vol. III. P. II. pag. 235-329 et vol. III. P. IIII. pag. 743.

** Breuis eius recenſus eſt in ephemerid. lipſienſ. a. XXXXIIII. nr. 51. et nr. 102. atque in nouis Actis erudit. a. XXXXII. Jun. P. II. pag. 381. a. XXXXIIII. m. Sept. P. I. pag. 527. et ſaepius.

modeſtiam, ingenium et amorem litterarum valde iucundus, *de Munchhauſen* vſus eſt. Quem quanti faceret, vt palam oſtenderet, nomini eius inſcripſit:

De Henrico Eppendorfio commentarium, cui aliquot epiſtolae Henrici, Ducis Saxonici, Erasmi, et Eppendorfii ἀνέκδοτα inſunt. Accedit eiusdem Eppendorfii perquam rara aduerſus Erasmi verſutiam defenſio, iterum typis excuſa. Lipſiae. a. XXXXV. 4. *

Amor tam patriae, nam *Eppendorfius* eodem loco natas eſt, quo *Saxius*, quam hiſtoriae litterariae commouerat eum, vt hunc libellum ederet. *Eppendorfius* autem cum *Huttenio, Eraſmo*, cuius animi indoles ex hoc ſcripto, quam ex aliorum narrationibus, melius cognoſci poteſt, aliisque eruditis amicitiam coluit. **

Eodem anno *Saxius* magnam partem Germaniae peragrans Francofurthum ad Moenum abiit, vt ſollemnitates in creando et coronando imperatore conſuetas videret. Quibus peractis

* Laudat. in ephemer. litt. lipſienſ. a. XXXXV. m. Iul p. 520. Gotting. ephem. eiusd. anni pag. 503. vollſtändige Nachrichten von acad. Schriften a. 46. pag. 370. In neuen Büchersaal der ſchönen Wiſſenſchaften. T. I. P. III. pag. 243.

** conf. Corn. *van Vonk* Conſul. Nimuuegenſis Beſchryving van het Begin, opkomſt en Aanwas der Stadt Doesburg in praef. p. 45.

ctis per Moguntiam, Coloniam Vbiorum, et Cleuam profectus eſt in Belgium, vbi plurimos eruditos homines, qui ibi viuunt, ſibi amicos comparauit. Anno tamen XXXXVI. per Hannoueram, Gottingam, Brunſuicium et Guelferbytum reuertit Lipſiam, ea mente, vt habita pro more diſputatione, in qua monimenta veterum quaedam explicaret, humanitatem atque antiquitatem doceret. Per ſex vero menſes cum morbo periculoſo conflictatus, quoniam conſilio medicorum ab omnibus laboribus auocabatur, ſpecimen interea obſeruationum in varias inſcriptiones typis non exſcriptas edidit, hoc titulo praefixo:

Lapidum vetuſtorum epigrammata et periculum animaduerſionum in aliquot claſſica marmorum συνταγματα. Lipſiae. a. XXXXVI. 4.*

Cl. *Saxio*, quum animo meditaretur Lipſiae manere, et in patria laborum praemia exſpectare, ſine ambitu inſtitutio filii de *Back*, conſiliarii intimi, qui reipublicae Batauae ab epiſtolis erat

* Laudantur illa in ephem. litter. lipſienſ. anno XXXXVII. pag. 39. Gottingenſ. ephem. eiusd. anni pag. 7. In Actis erudit. a. XXXXVIIII. mens. Dec. pag. 703. et a multis viris fama eruditionis clariſſimis *Doruillio* ad Chariton. pag. 748. *Oudendorp.* ad Sueton. pag. 32, 159. *Hagenbuchio* in Diptycho Brixiano Boetii pag. 64, 142. in miſcellan. obſeru. nou. tom. X-XII. eiusque epiſtola ad *Io.*

erat et Hagae Comitum viuebat, liberali et honorifica conditione credebatur. Primum quidem patriam et patronos relinquere noluit, poſtea tamen, ſuadentibus in Belgio nonnullis, qui ei fauebant, precibus ſaepe repetitis a. XXXXVIII. locum dedit, ſperans, fore vt fortuna ſibi concilietur. Nec ſpe, quam concepit, deturbatus eſt. Laudatus enim de *Back* non ſolum amauit litteras aeſtimauitque, ſed *Saxium* quoque praecipua cura et fauore dignatus eſt. Atque omnes, qui eum proprius norunt, laudant hunc Muſarum patronum, cuius rei exemplum eſſe poteſt *Vonkii* epiſtola ad virum illuſtrem de *Back*, *Hieronymi Faleti* de bello Sicambrico libr. IIII. praefixa, et *Cannegieteri* dedicatio libri ſupra memorati. Quatuor circiter annis Hagae Comitum, Traiecti et Lugduni ſumma cum voluptate transactis a *Saxio*, multa commentando, ſcribendo, docendoque, quum iuvenis de *Back* rempublicam capeſſeret, et, qui eſſet ciuitatis Rotterodamenſis ab

Io. Ernſt. Immanuel. Vualch quae eſt in huius, vberiori explanatione perſecutionis Chriſtianorum Neronianae in Hiſpan. pag. 34. a *Cannegietero* in libro de mutata Romanorum nominum ſub principibus ratione pag. 169. et nouiſſime a *Io. Andr. Hultmanno*, nuper ſe functo, in miſcellaneorum Epigraphicorum libro ſingulari Zutphan. a. LVIII. 8. pag. 26. 91.

ab epiſtolis, crearetur, noſtro munus Profeſſoris linguae graecae in academia Groeningenſi non multo ante menſ. Auguſti a. LI. oblatum eſt, quod tamen multas ob cauſſas recuſauit. *Caſparis* potius *Burmanni* humanitate et beneuolentia inuitatus, huius nepotum inſtitutione ſuſcepta, poſt auſpicia a. LII. Traiectum concedens apud illum habitare coepit. Commoda hac occaſione ſaepe accidit, vt ille cum noſtro de litteris confabularetur, vltro pollicitus, quidquid in ſua haberet librorum ſuppellectile ad iuuandas ſtudiorum rationes, opportuni, id ſe omne perlibenter eſſe ſubminiſtraturum. Atque non paucas veterum auctorum editiones, manu virorum doctorum notatas, multas Heinſii, inprimis patris ſui chartas obtulit, et ad cubiculum eius deferri iuſſit, vt inde *Saxius* decerperet, quantum in rem ſuam fore exiſtimaret, eosque libros et chartas apud ſe tamdiu ſeruaret, donec plus otii nanciſceretur ad ſingulas adcuratius cognoſcendus et deſcribendas. Ille quoque vir egregius muſeum ſuum noſtro aperuit, et frequentibus ibidem, et quotidianis ferme ſermonibus habitis de variis collationum, notarum, epiſtolarum, ſchedarumque argumentis, magnum illarum adparatum lubenter commodauit, vt illis vteretur, ſi earum vel perluſtrandarum afficeretur cupiditate vel deſcribendarum; qua opportunitate allectus omne tempus, quod ab inſtitutione puerorum

rorum aliisque huius ſaeculi officiis ſupererat, totum in deſcribendas mox has mox illas virorum doctorum animaduerſiones conferre coepit. Haec ſi quis cum illis, quae in vita *Burmanni* ſupra docuimus, comparauerit, quaenam criminationum Burmannianarum, furtique intenti fuerit ratio, facile perſpiciet.

Inter ea proceres vrbis Traiectinae, *Caſparo Burmanno* pro *Saxio* diligenter ſuffragante, hunc Profeſſorem extra ordinem antiquitatum et humaniorum litterarum in locum mortui *Caroli Andreae Dukeri* ſuffectum deſignarunt. Qua in re votis omnia eo felicius ceſſerunt, quod praeter ſuffragium *Caſpari Burmanni* Gubernatrix totius reipublicae eum curatoribus academiae commendauit. Munus hoc adiit ipſis cal. Februar. a. LIII. oratione *pro antiquitatis ſcientia*, quae prelo poſtea ſubiecta eſt; plura de illa in Actis eruditorum a. LIII. menſ. Octobr. pag. 609. et ephemerid. lipſiens. eiusdem anni pag. 435. cui volupe erit, legere poteſt.

Hoc autem munus a. LV. menſ. Iul. cum praeſtantiori magisque honorifico commutavit. Quas enim hucusque extra ordinem docuit litteras, earum profeſſorem, vti vocant, ordinarium dixerunt academiae Curatores. Die demum XVIII. menſis Septembris ob ferias, oratione, *de artium graecarum romanarumque iudicio hodie regundo*, publice recitata et poſthaec

haec formis typothetarum expreſſa hoc munus auſpicatus eſt. Cel. *Saxius* agit in illa oratione de formando iudicio in litteris elegantioribus ad exempla veterum Romanorum et Graecorum. In linguam Batauorum translata eſt, eique titulus praefixus:

Redevoering van de noodzakelyke Verbeteringe des hedendaagſch heerſchenden Smaacks in de Kunſten, naar dien der Gricken en Romeinen, door Chriſtoph Saxe *uitgeſprooken, by het aanvaarden van het gewoon Hoogleeraarampt in de Oudheden en be ſchavende Wetenſchappen in de groote Gehorzaale te Vtrecht den 18. van Herfſtmaand des Iaars 1755. uit het Latyn vertaald. Te Vtrecht* 1755. 4.

Inter has vitae et dignitatis mutationes anno LIII. menſe Iulio *Annam Iulianam, Ioannis Erneſti Nouiſadi*, monetis per prouinciam cudendis praefecti, filiam natu maximam in matrimonium duxit, e qua quatuor filios duasque puellas ſuſcepit.

Illo autem publico munere quam dignus ſit cl. *Saxius*, cui quod de omni antiquitate incognitum ſit, non facile reperire poſſis, teſtimonio tam ſocietatis latinae, quae eum d. VIIII. menſ. Iulii a. LIIII. in ſuum recepit collegium, quam *Gesneri*, poteſt comprobari. Hic enim in programmatae quodam de reperto nuper Herculano *Carolum* regem tunc Siciliae, nunc Hiſpaniarum ſic alloquitur. -- *Illud autem inprimis cura, vt praeficiantur negotio cauti homines et periti*

harum

barum rerum et amantes, et ſi Aegyptius ille tuus, ſi Mazachius, ſi illorum apud vos ſimiles, ſi chorus ille eruditae Italiae, cui velut praeſul fato datus eſſe videtur Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus, negotio ſufficere propter alia non poſſint; Socerum tuum roga, vt tibi Bergeros mittat, et Maſcouios et Chriſtios et Saxios, *quorum opera caueatur, ne, dum inueniuntur theſauri pereant, ne parum accurate referantur, vel in pictas tabulas, vel in litteras, ne fiat, quod in Plinii villa, vt inuenta etiam deliteſcat.* Quid honorificentius de *Saxio* eiusque eruditione dici poteſt, quàm a *Gesnero*, at quanto illo viro! Regi commendari? Ille vero curis et domeſticis et publicis atque lite poſtea, cum *Burmanno* triſti moleſtaque, de qua alio loco egimus, impeditus non tot libros, quot viri eruditi optent, edere poteſt. Quos tamen ſcripſit praeter illos a nobis iam indicatos, nunc recenſebimus

Diptychon Magni Conſulis, nunc primum luce publica donatum animaduerſionibusque illuſtratum. Hagae Comitum a. LVII. Fol. cum fig. aenea, in qua diptychon, cuius *Saxius* ipſe poſſeſſor eſt, exſcriptum adparet.

Antea vero quam illud cum eruditis communicaret, duo viri in Italia doctiſſimi, *Sebaſtianus Donatus* Luccae, et Florentiae *Antonius Franciſcus Gori*, de eo per Dorvillium forte facti ſunt certiores. Quare prior labores noſtri

ſtri in hoc antiquitatis monimentum in praefatione ad opus ſuum inſcriptum: *de' Dittici degli antichi Profani è Sacri* in Lucca 1753. 4. pag. XXV, his verbis orbi litterario indicauit: *Similimenté ho ſicuri riſcontri d' olanda che l'eruditiſſimo Signore Sax d' Vtrecht abbia accuramente fatto delineare un nouvo Dittico Conſolare di Anaſtaſio* (in quo tamen errauit vir doctus, *Magni* enim fuit Diptychon) *il quale in brieve Sia per paleſar colle ſtampe accompagnato di ſue dottiſſimi oſſervazioni.* *Gorius* vero ad *Saxium* hac de re ſaepius ſcripſit, et liberalioribus promiſſionibus illud a poſſeſſore expetere atque extorquere ſtuduit. Magno tamen animo opimam reſpuit mercedem, illisque commodis carere, quam monimentum hoc carum mittere maluit in Italiam, quo an tutum veniret, ob tempeſtates tam erat incertum. Quare id *Gorio* denegauit humaniſſime, eademque forma, qua *Gorii* theſaurus Diptychorum fore dicebatur, edidit. Praeter alios recenſus *, de eo, cuius auctor cel. *Io. Iac. Reiskius* in *Zuverläſſigen Nachrichten* P. 215. pag. 837. ſqq. eſſe dicitur, breuiter agemus. Honorificam induſtriae,

* Legat, ſi quis cupit, noua Acta eruditorum a. LVIII. Sect. II. pag. 49. Lipſienſ. ephem. litterar. pag. 769. et Gottingenſ. ephem. eiusdem anni plag. 124.

ſtriae, diligentiae multaeque doctrinae, quae in illo libro compareat, facit mentionem. Laudat immenſam veterum, quam oſtendit, lectionem, hiſtoriam diptychorum, vltimamque libri partem, quam praeſtantiſſimam et maxime excultam eſſe ait. Librum denique haud iniucundum lectu eſſe fatetur, nec plane nudum nouis inuentis. Adcuſat tum *Saxium* vanitatis et gloriae ſtudii, quod librum maiuſculis litteris formisque nitidiſſimis deſcribendum curauit. Dein ſuſpicatur *Reiskius*, hunc laborem ſuſceptum eſſe illorum cauſſa, qui opera *Gorii* et *Hagenbuchii* propter illorum praeſtantiam et caritatem obtinere et legere non poſſent. At *Gorii* theſaurus eo tempore lucem nondum adſpexit, et *Hagenbuchii* diptychon a noſtri opere valde diuerſum eſt. Tum *Reiskius* ſatis fuiſſe putauit, ſi *Saxius* commentatiunculam de eo vna duabuſue plagulis abſolutam in litterariis nouis, ſiue iis, quae journal de Savans, ſiue iis, quae bibliotheque impartiale inſcribuntur, in publicum prodire iuſſiſſet. Porro culpat in illo, quaſi Batauorum fauorem captaturo, verba acerba aduerſus eos, qui contra ſenſerint, fuſa, ingratum animum erga patriam, atque laeſionem veteris amicitiae; forſan horum criminum haec erat cauſſa, quod *Saxius* Caerimoniale Conſtantini operoſae nugacitatis plenum adpellauit, nec coniecturas et iudicium *Leichii* adprobauit. Sed

haec

haec aliaque omittamus, ne alterutrum laeſuri videamur.

Obſeruationes antiquario philologicae ad vetus chirographum theſauri Muratoriani mancipationis formulam continens. eod. anno.

Quamquam *Gerard van Lom* Nimuuega ortus, qui nunc cauſſarum patronus eſt Gorinchae, ſiue, vt alii dicunt, Gorkum, huius diſſertationis auctor nominatur, eam tamen a cl. *Saxio* eſſe elaboratam, certo ſcimus. * In nouis Actis eruditorum a. LVIII. menſ. Maii pag. 253. ſqq. contraria de Anteſtato ſententia *Saxio* affingitur. Contra idem vocabulum Chriſtian. Wilhelm. *Kuſtner* in libello, inſcripto: Schreiben an den Herausgeber der Critik, qui reperitur in Unpartheyiſchen Critik über juriſtiſche Schriften in- und auſſerhalb Deutſchland, (vbi *Saxii* diſput. copioſe recenſita eſt) Part. II. Vol. VI. pag. 162-169. Lipſ. a. LVIII. nonnullas mouit dubitationes, quas vero cl. *Saxius* in eodem libro Part. V. Vol. VI. pag. 392-404. conuellere ſtuduit. Hic vero eſt titulus Hrn. Prof. Chriſtoph Saxens Antwort auf des Hrn. *D.* Chriſtian Wilhelm Küſtners Schreiben an den Herausgeber der unpartheyiſchen Critik.

Ono-

* Iudicia de ea leguntur in ephem. Lipſienſ. a. LVII. menſ. Oct. et Gottingenſib. eiusd. anni plag. 130.

Onomaſticon literarium ſiue Nomenclator praeſtantiſſimorum omnis aeui ſcriptorum praecipueGraecorum et Latinorum veriſimilibus, quantum fieri potuit, temporum notis et ſcholis domeſticis accommodatum. Traiecti a. LVIIII. 8. maiori.

Aequa iuſtaque tulit de eo iudicia non ſolum cl. *Klotzius* in nouis Actis eruditorum a. LX. menſ. Mart. Part. I. pag. 131, quem vero cl. *Burmannus* ſubornatum fuiſſe, et mulum mulum fricuiſſe contendit, vnde poſtea lites inter vtrumque ortae ſunt, ſed quidam quoque in ephemerid. litterariis de Kerk en Akademie Boekzael a. LVIIII. menſ. Octobr. pag. 515. et de Nederlandſche Letter. Courant. a. LVIIII. menſ. Oct. Part. 86. pag. 271. inſcriptis, et in Lipſienſ. nouis litterar. a. LX. menſ. April. pag. 297. ſqq. Vni *P. Burmanno* illud non placuit, qui in epiſtola ad fratrem *Franciſcum Burmannum* plagii litterarii arguit *Saxium*, et onomaſticum contendit ex ſcriniis *Reineſii* eſſe compilatum. Hanc tamen calumniam exſtinxit *Saxius* in iuſta depulſione bene.

Anno LX. iuſſu Curatorum academiae Rector dictus eſt; quod officium d. 27. Mart. ſubiit, decedente *Guilhelmo van Irhouen.* Suſtinuit vsque ad II. April. anni ſequentis, hoc publice delato *Gisberto Matth. Elsnero*, Theologiae Doctori et Profeſſori. Quod munus quietis et tranquillitatis pleniſſimum fore videbatur, in eo inuidia odioque vtriusque *Bur-*

Burmanni maximae moleſtiae et turbulentiſſimae tempeſtates noſtro exſtiterunt. Quoniam de ea lite iam multa diximus, nunc erimus eo breuiores. Hoc autem initium fuit fabulae publicae, quae ante priuata erat. *Guilielmo de Irbouen* d. 18. Nov. a. LX. mortuo, more in academia Traiectina conſueto, *Franciſcus Burmannus*, qui in ordine Theologorum vltimum tum habuit locum, publice parentauit. *Saxius*, qui eodem tempore faſces tenuit academicos, pro muneris ratione tabulam, qua, orationem in memoriam *Irbouii* indicauit habendam, ſcripſit, et facta *Irbouii* honorifica mentione. haec quoque poſuit: *Viri ſane in tantum laudandi, in quantum* - - - - probabiliter *docentis ars et ratio intelligi poteſt. Franciſcus Burmannus* a fatre * forſan incitatus, verbo *probabiliter*, quod in oratione funebri pag. 42. vehementer reprehendit, quo nomine valde vituperatur in Nouis litterariis Lipſienſibus, putauit exiſtimationi Irhouianae multum eſſe detractum et *Irbouium*, clamitat, *veritates omnes ex vniuerſo Dei verbo numquam probabiliter, ſed quam certiſſime docuiſſe. Saxius*, ne alii, odii inimicitiaeque inter *Burmannos Saxiumque* ignari, hac interpretationis peruerſitate offende-

* Hunc fuiſſe calumniandi ſuaſorem, affirmat auctor depulſionis Saxianae in linguam Batauum verſae pag. 99.

derentur, breuem apologiam ſcripſit, in qua illam a verbis ſuis calumniam amoliretur, bene docens exemplisque veterum auctorum comprobans, *probabiliter docentem* eum eſſe, qui ita doctrinae ſuae opes explicet, vt iuſtam et legitimam ſubtilitatis, perſpicuitatis et ſtudii laudem ab omnibus reportet. Inſcriptio autem breuis huius modeſtaeque defenſionis haec eſt: *Chriſtophorus Saxe Lectori aequo et humano Salutem et officia.* Finiuit eam auctor his verbis: *Scripſi Traiecti Batauorum d. XV. Ianuar. a. LXI.* Schedae huius mentio facta eſt in ephemerid. tam Lipſienſibus quam Erlangenſibus atque in Actis eruditorum. Quum *Saxius* in eo eſſet, vt conſcriberet hanc apologiam, P. *Burmannus* verſiculos quosdam ſceleſtos vulgauit, eique miſit, quos hic in *Depulſione furiales* vocat *hendecaſſyllabos*. Quare in fine Apologiae ita ſcripſit *Saxius*: *Ceterum, quod omni lenitate mea impedire nec potui nec potero, graſſetur et vociferetur aduerſarii non neminis lingua hoſtilis, equidem ab officio hominis Chriſtiani, quod eſt in placabilitate - - nullo me vmquam pacto diuelli patiar.* Neque famae Saxianae deerant defenſores: quidam enim in *Burmannum* eadem conuicia retorſit, verſusque confecit acerbos, id quod vidimus ex annotationibus ad *Saxii* depulſionem in linguam Batauorum translatam. Illa vero *Saxii* placabilitas *Burmannum* eo magis inflammauit eoque perduxit, vt omne

omne conuiciorum et adcuſationum atrociſſimarum virus, quod adhuc pectore continuerat, effunderet in: *Epiſtola ad fratrem Franciſcum Burmannum S. Theologiae in academia Vltraiectina Profeſſorem*, quae nulla loci, vbi typis exſcripta fuerat, mentione facta, menſ. Mart. a. LXI. in lucem prodiit.

Saxius illo tempore nimiis forſan laboribus obrutus, nec potuit nec voluit infeſtam illam actutum conuellere epiſtolam, et iniuriam vindicare. Se tamen abdicans Rectoris munere d. II. April. a. LXI. circa finem orationis, ſe maledicta *Burmanni* propediem refutaturum promiſit, his fere verbis vſus: *Neque tamen committam, vt faciat ille pacis et otii turbo, qui me his circiter diebus omnium crudeliſſime inuaſit, ſumma imis miſceat, ſed inuidioſiſſimam contumelioſiſſimamque eius criminationum exaggerationem ſuo loco et tempore, quantocyus certe per quotidianas difficilesque publici laboris curas licebit, deprimere animo induxi.* Oratio autem ipſa publici iuris poſtea facta, ſic inſcripta eſt:

Chriſtophori Saxii oratio in ſeptem artium liberalium magiſtros habita publice Traiecti Batauorum a. d. IIII. Non. Apriles, quum in doctorum hominum Panegyri Academiae ſe rectura ſollemniter abdicaret. Laudata eſt in ephemeridibus litterariis tam Erlangenſibus, quam Lipſienſibus et in Actis eruditorum a. LXI.

Tum, vt ſe crimine furti purgaret et repelleret audaciam atque iniuriam *Burmanni*, edidit. *Iuſtam depulſionem immanis calumniarum atrocitatis, qua in ipſum ab aliquot annis inprimis ſcripta ad fatrem Theologum epiſtola graſſatus eſt Petrus Burman Minor, alias Secundus, manſuetudinis olim diſciplinae indocilis tiro nunc litterarum humaniorum Profeſſor.* Traiecti Batauorum a. LXI. 4.

De argumento huius libri quoniam pluribus locis egimus, multa in praeſenti ex eo deſcribere, ſuperuacuum eſſe videtur. Huius libri mentionem faciunt Ephemerides litterariae quae non ſolum in Germania ſed etiam in Belgio eduntur, praecipue Acta eruditorum a. LXI. m. Decembr. pag. 571, vbi permulta pro *Saxio*, vt de viro, cuius mores ſatis cognitos ſe habere eruditi Lipſienſes ſcribunt, contra *Burmannum* dicuntur. Hic autem liber non ſolum in linguam Batauorum translatus eſt, ſed etiam ab auctore verſionis multis locupletatus obſeruationibus, ad quarum haud paucas prouocauimus. Plurimas illarum et praefationem *Burmanno* ſaepius ſtomachum mouiſſe atque pudorem inieciſſe, quam adtuliſſe iucunditatem puto. Mox enim corrugat gat frontem auctor adnotationum, et tamquam ſeuerus iudex condemnat *Burmannum* propter conuicia, quibus praeſertim in famoſo libello: *Interim*, inſcripto, adfecit ſuum aduerſarium *Pe-*

Petrus Secundus: Mox explicata fronte, iocatur, et dicteriis ſale conditis perſtrinxit *Burmanni* temeritatem. Verſionis autem hic eſt titulus.

Chriſtoph Saxe - - Rechtmatige Afkeering der verregande Laſteringen Op hem ſedert eenige Iaaren uitgeſpoogen, inzonderheit in den Theologiſch - broederlyken Brief van Zekeren P. Burman den kleine Alias Secundus Eertyds Botmuil in het oefenen der beſchavende Zedenkunde, thans Hoogleeraar van de Beſchanf de Wetenſchappen Vit het het Latyn in't Nederduitſch vertaald, en met eenige ter waarheit dienende Stukken en Aantekeningen vermeerdend. Te Vtrecht en te Amſterdam.

Hoc tamen bellum domeſticum nondum ſepultum eſt, ſed quaſi renatum et renouatum edito *Antiklotzio*, in quo libro *Burmannus* praeter ea, quae in *Klotzium* dixit, unde Cl. *Bidermannus* vocat *virulentiſſimis conviciis refertum libellum* in progr. *genus irrit. vat.* non ſolum actionem in Saxium repetiit, ſed etiam maiori cum vehementia odioque Vatiniano intendit. Quare Saxius in *Epiſtola ad Burmannum Minorem* a. LXII. rem omnem denuo expoſuit, et pari fere ardore atque vehementia, (quis enim aduerſario atrociter calumniante, omnem ſtomachum perdet funditus?) ne vadimonium deſerere videretur, ſe tam bene defendit, vt iudicio plurimorum hominum ipſorumque Batauorum abſolutus videatur. Prima et praeci-

pua libelli pars eſt in qua *Klotzium neque precio neque prece*, quod *Burmannus* ſaepius clamauerat, ad ſe defendendum commotum fuiſſe, demonſtrat, litteris illius prolatis. vide Erlangiſche gelehrte Anmerkungen. 1763. n. 15. Sed de hac epiſtola iam ſaepe egimus: hoc tantum commemorabimus, ad illud, quod *Burmannus* vocauit antiquarum vocum captatorem, et moleſtum latini ſermonis exactorem noſtrum, et dictionem Saxianam eſſe, aiebat, duram, contortam et obſcuram, lepide multoque cum ſale eſſe reſponſum.

IOANNES FRIDERICVS GRVNER.

AA. M. Eloquetentiae et Poeſeos Profeſſor in Gymnaſio academico Coburgenſi, Societatis vtriusque Ienenſis et inſtituti litterarii academici Sodalis.

Franconia, quae iam multos tulit aluitue viros litteris clariſſimos, cum primis Coburgum, patria eſt *Gruneri*, vbi anno huius ſaeculi viceſimo tertio lucem primam adſpexit. Contigit ei, vt parentes haberet, qui auctoritate, virtutibus, opibusque florerent. Pater autem fuit, *Io. Fridericus* I. V. D. Sereniſſimi Ducis Saxo-Coburgenſis et Saalfeldenſis a conſiliis aulae ſanctioribus, conciliique ſacri praeſes: mater,

ter, *Euphroſine Maria*, *Io. Frider. Facii*, Sereniſſimi ducis Saxo-Coburgenſis et Saalfeld. a conſiliis camerae, filia natu maior. His rara a Deo obtigit felicitas, vt filium honoribus ornatum, laude florentem atque ſenectutis ſuae ſolatium viderent: namque demum a. LVI. diem obierunt ſupremum. Hi igitur, quibus educatio liberorum magnae ſemper fuit curae, et qui neque ſumtibus vllis, neque diligentiae vmquam pepercerunt, quibus ſe inſeruire poſſe commodis eorum videbant, in inſtituendo hoc filio omne ſtudium omnemque curam adhibuerunt. Quare primis eius annis praeceptores, qui mores pueri mature formarent, et litteras ei traderent in domum familiamque receperunt. Horum omnium in ſe erudiendo fidem et diligentiam grato animo agnoſcit noſter, plurima tamen ſe debere viro doctiſſimo, qui iam *Coburgi* quaeſtionibus criminalibus praeeſt, *Io. Chriſtoph. Gottero*, lubens fatetur. In conſpectu igitur patris praeceptoribus domeſticis vſus in litteris verſabatur ad annum vsque XXXVI, quo ex aedibus paternis in rus ſeceſſit, traditus diſciplinae *Io. Facii* apud Weiſſenbornenſes verbi diuini praeconis, viri latine graeceque admodum docti. Commoratus apud illum ſupra annum vnum et menſes ſex quum in litteris magnos feciſſet progreſſus, a. XXXVIII. poſt diem Michaelis feſtum in numerum ciuium Gymnaſii Caſimiriani academ-

demici receptus eſt. Quos habuit praeceptores eorum alii adhuc in viuis ſunt, noſtrique nunc collegae, alii ad ſedes beatorum abierunt. Ducibus igitur *Theodoro Bergero*, *Io. Sebaſt. Albrechtio*, *Io. Chriſtian Linkio*, *Io. Vdalrico Treſenreutero*, *Bonifacio*, *Henrico Ehrenbergero*, et *Io. Chriſtoph. Schubarto* ad altiores ſpirans artes, ſe ad vitam academicam prudentius, quam fieri ſolet, inſtituendam ſatis praeparauit. In primis autem praedicanda eſt *Meuſchenii*, ſacrorum, dum vixit, apud Coburgenſes Antiſtitis ſupremi, et Theologiae Profeſſoris primarii, cuius bibliotheca noſtro, quoties voluit, patebat, et *Io. Conradi Schwarzii* indefeſſa in noſtro erudiendo opera, quippe qui eum noctis etiam bonam partem agere ſecum haud raro voluit. Atque illorum doctrina et conſuetudo quantae noſtrae fuerit vtilitati, Caſimiriano valedicturus, publico oſtendit ſpecimine, diſputatione *de Flaminibus* ſub moderamine *Schwarzii* defenſa.

Litteris bene inſtructus menſe Aprili a. XXXXII Ienam profectus eſt. Hic ſe litteris ſeuerioribus ſumma cum induſtria addixit ea conditione, vt elegantiores non deſpiceret, nullique diſciplinae manciparetur. Litterarum vero manſuetiorum amor ne extingueretur, ſed inflammaretur magis magisque, non ita multo poſt aduentum in hoc litterarum nidulo ſocietati Latinae nomen dedit. Quo adcuratiorem

rem reliquarum diſciplinarum ſibi compararet cognitionem, interfuit recitationibus *Buderi*, *Heimburgii*, *Darieſii*, *Pfeifferi*, qui Erlangae munere nunc fungitur Profeſſoris Theologiae, *Hallbaueri*, *Reuſchii*, *Hambergeri* atque *Ekhardi.* Praeceptores, praeſertim *I. G. Vualchius*, qui eum per quatuor annos hoſpitio excepit, ſummo eum proſequuti ſunt fauore. Ingenuis enim artium cultoribus numquam deerit calcar, numquam beniuolentia virorum ingenia et virtutes aeſtimantium.

Per triennium, tempore in litteris prudenter collocato, ſuaſu patronorum, conſilio Lipſiam ſe conferendi mutato, ab ampliſſimo philoſophorum ordine lauream petiit philoſophicam. Qua d. VIII. Maii. a. XXXXV. impetrata, eodem menſe duas diſſertationes, alteram *ad illuſtranda D. Paulli verba Tit. I, 1-6:* alteram vero: *Spicilegium obſeruationum ad Phaedri priores libros II.* defendit, ex eoque tempore iuuentuti academicae ſcholis habendis prodeſſe ſtuduit.

Eruditionis fama, quam ſcriptis et voce *Grunerus* conſequutus eſt, in patria percrebuit, et commouit Principem Sereniſſimum *Franciſcum Ioſiam*, Saxoniae Ducem, vt eum ad munus Profeſſoris linguae et antiquitatis romanae in Caſimiriano academico adminiſtrandum euocaret. Nutui principis ſui obtemperans noſter, a. XXXXVII. menſ. Decembr. rediit in pa-

triam.

triam. Anno LVI. poſt obitum *Sucronis*, viri elegantiſſimi ingenii, amoeniſſimaeque doctrinae, prouinciam Profeſſoris eloquentiae ac poeſeos ſibi demandatam adiit. Eodem anno eum Societas Ienenſis teutonica ſodalem ſuum dixit, et neque multo poſt *Io. Andr. Fabricius*, inſtituti litterarii academici, quod tamen neque floruit vmquam valde, et nunc exſpirauit, director, nomine Societatis in collegium cooptauit. Hactenus de vita *Gruneri*, viri placidi atque officioſi, qui honoris dignitatisque cupidus eſt, ita vero, vt cogitet, ſe hominem eſſe, bonumque ciuem decere, vt ſua ipſius virtute nobilitetur. Homo eſt laboris patiens, vir honeſtus, paterfamilias probus, in Deum religioſus, et pius erga principem, eiusque miniſtros.

Quae vero edidit ſcripta, ea, omiſſis, quae ſupra commemorauimus, nunc recenſebimus.

Diſſ. epiſtolica ad Caſpar Iac. Huth . . . *de procuranda noua* Coelii *Sedulii editione.* Ien. a. XXXXIII.

Contemplatio gemmae cuiusdem e ſelectis Iac. de Vuilde diſſ. epiſtol. qua cl. Io. Paull. Reinhardo philoſophiae magiſtri honores nomine ſocietatis gratulatus eſt. Ienae XXXXIIII. recuſ. in actis ſocietat. latin. Ienenſ. Vol. I. pag. 100.

Diſſ. epiſtolica *de honore et virtute, diis aſſeſſoribus, qua cl. Chriſtian. Henr. Eckhardo faſces academicos nomine ſociet. latinae gratulatus*

tus eſt a. XXXXVI. rec. in act. ſoc. lat. Ienenſ. Vol. I. pag. 92.

Introductio in antiquitates romanas. Ienae a. XXXXVI. 8.

Coelii Sedulii mirabilium diuinorum libri V. ſiue carmen paſchale, item hymni II. ad codd. MSS et edd. veterum fidem recenſuit. cum lectionibus variis obſeruationibus atque indicibus neceſſariis. Lipſ. a. XXXXVII. 8.

In ornando *Sedulio* vſus eſt exemplariis optimis: praeſertim multum ei adtulit adiumenti exemplum apud *Farneſium* Lugduni a. XXXXVI., ad cuius marginem per omnia *Sedulii* carmina adſcriptae erant variae lectiones ex codice manuſcripto Cantaurenſi ab *Erico Benzelio* exceptae. Reliqua etiam ſubſidia cl. cl. *Grunerus* in praefatione indicat.

De indole ſiue genio linguae romanae.

Quatuor ſunt programmata, quae *Coburgi* a. XXXXVII. a. XXXXVIIII. et L. in publicum edidit.

Progr. *de falſis apoſtolis eccleſiae apoſtolicae* a. XXXXVIIII.

Progr. *de P. Ouidii Naſonis aliquot locis* eod. anno. Continet XII. obſeruationes criticas et grammaticas, in quibus VII. loca in epiſtolis *Heroid.* VII. in *Faſtis* et duo in epiſtolis *Triſtium* emendantur et explicantur.

Proluſio de Iſaaco typo Chriſti ad Hebr. XI, 19. Miſcellanea Sacra. Ienae 4.

Progr.

Progr. *Falſos apoſtolos eccleſiae apoſtolicae primitus ex eccleſia Hieroſolymitana exiiſſe.* a. L.

Progr. I. de C. Plinii Secundi iunioris aliquot locis. a. L. Altera et tertia continuatio anno ſequenti lucem adſpexit.

Origines monaſterii ordinis S. Benedicti in Banz a. LI. Paucis plagulis abſolutus erat hic libellus, qui recuſus eſt in D. Carl Fr. Schöpfens Nordgau, Oſt, Fränckiſchen Staatsgeſchichte 2. P. pag. 294. Auctiorem vero atque emendatiorem hanc quaeſtionem edidit auct. cl. in *opuſculis ſuis ad illuſtrandam hiſtor. germanic. pertinentibus.* Vol. I. pag. 174. ſqq.

Progr. *de odii Romanorum aduerſus Chriſtianos cauſſis.* eod. anno.

Eutropii breuiarium hiſtoriae romanae cum notis criticis et hiſtoricis. Coburg. a. LII.

Commentat. hiſtorica *de inſtauratione monaſterii ordinis S. Benedicti in Banz.* a. LIII.

Repetita eſt in opuſcul. laudatis Vol. I. pag. 227. ſq.

Obſeruationum criticarum Libr. I. in Actis Societatis Ienenſ. Vol. III. pag. 23. a. LIIII. Loca quaedam *Ciceronis, Velleii Paterculi, Ouidii, Minucii Felicis, Iuuenci*, praeſertim autem *Plinii iunioris* partim emendantur, partim a criſi aliorum vindicantur.

Progr. *de odio humani generis Chriſtianis olim a Romanis obiecto.* a. LV.

Ob-

Obſeruationum criticarum libr. II. in Actis Societatis lat. Ienenſ. Vol. IIII. pag. 203.

De odio humani generis Chriſtianis olim a Romanis obiecto excercitationes hiſtoricae tres, quibus perſecutionum inprimis, quas Chriſtiani a Romanis perpeſſi ſunt, hiſtoria plurimum illuſtratur. Coburg. 8. a. LV.

Excercitatio hiſtorica de Henrici Raſpe in regem Romanorum electione, rebus in imperio geſtis et vitae exitu, a. LVI. rec. et aucta in Vol. I. opuſcul. ad illuſtrand. hiſtoriam german. pertinentibus.

Excercitat. *de Ieſu Chriſto primogenito Dei patris Filio ad Coloſſ. I, 15. Rom. VIII, 24. Hebr. I, 6.*

Diſſ. *de Comitibus de Truhendingen ducum Meraniae haeredibus.* a. LVI. rec. in opuſcul. laudatis, Vol. I.

Obſeruationum criticarum libr. III. in Actis Societ. latin. Vol. V. pag. 220.

Progr. I. II. *de rebus Hermanni II. Comitis de Henneberg.* a. LVII.

Sexti Aurelii Victoris hiſtoria romana cum animaduerſionibus criticis atque hiſtoricis. Coburg. 8. a. LVII.

Diſſ. *de electione Rudolphi I. Caeſaris Auguſti* an. LVII. repet. et aucta in Vol. I. opuſculorum.

Progr. III - VIII. *de rebus Hermanni II. Comitis de Henneberg.* a. LVIII. et LVIIII.

Opuſculorum ad illuſtrandam hiſto..am Germaniae pertinentium Vol. I. Coburg. 8. a. LX.

Continentur hoc volumine I. Excercitatio de Henrici Raſpe Landgrauii Thuringiae &c. in regem Romanorum electione, rebus in imperio geſtis et vitae exitu. II. Diſſ. de electione Rudolphi. I. Caeſaris Auguſti. III. Diſſ. de genere Henrici minoris aduerſus Ottonem II. imperatorem rebellantis. IIII. Obſeruatio de Margaretha Popponis. XIII. Comitis de Henneberg, Filia, Conradi, Comitis de Vuildberg, vxore. V. Diſſertatio de Comitibus de Truhendingen, ducum Meraniae haeredibus. VI. Origines monaſterii ordinis S. Benedicti in Banz. VII. Diſſ. de inſtauratione monaſterii Ordinis S. Benedicti in Banz, facta per Ottonem S. Epiſcopum Bambergenſem. VIII. Faſciculus diplomatum hactenus non editorum.

Antiquitates Coburgenſes. eod. an.

Obſeruatio de manu miſſione per conuiuium.

Opuſculorum ad illuſtrandam hiſtoriam Germaniae pertinentium. Vol. alterum. Coburg. 8. a. LXI.

Progr. I. et II. de *Coburgo ſub ditione Marchionum de Brandenburg.*

Progr. Jeſus Chriſtus der Erſtgebohrne durch die ganze Schöpfung. Coloſſ. *I, 15.* a. LXII.

C. Vel-

C. Velleii Paterculi quae ſuperſunt, ex hiſtoriae romanae voluminibus duobus recenſuit, et commentario perpetuo illuſtrauit. Coburg. a. LXII. Additi ſunt *Dodwelli* annales Velleiani.

De vnitate eccleſiae ex mente S. Ignatii diſſertatio I. a. LXII.

Praeter hos bene multos libros *Grunerus* ſe *opus de cauſſis linguae latinae et inſtitutiones oratorias* editurum promiſit.

M. PAVLLVS DANIEL LONGOLIVS.

Caeſareae Franciſceae liberalium artium academiae Conſiliar. Rector gymnaſii Curiani, Facult. philoſ. Lipſ. Adſeſſor, et Socc. Ienenſ. Latin. et Teutonicae Altorfinae Soc. honorar.

Varia fuerunt de *Chriſtophoro Longolio* virorum doctorum iudicia: quorum alii multis eum ornarunt laudibus, alii in eo vituperando, illudendo etiam atque irridendo ingenii laudem quaeſiuiſſe videntur. Nempe hic erat ille *Longolius*, quem ob diligentiſſimam Ciceronianae orationis imitationem ſimiam Ciceronis adpellabant, et de quo alias ſuaues fabulas nobis commemorant. Contra ſi quis *Bembi*, *Sadoleti* aliorumque illius aetatis doctorum hominum

litteras legerit praeclariſſime de *Longolio* iudicari videbit. Atque etiam ſi dicendi genus *Longolianum* examinamus, ſi aliarum rerum peritiam et doctrinam, quae in eo fuit, conſideramus, ſi denique illud cogitamus, admodum iuuenem *Longolium* ea ſcripſiſſe, quae ad nos peruenerunt, non ſolum magna laude dignum illius ingenium eſſe arbitramur, ſed etiam dolemus litterarum cauſſa, illum in ipſo aetatis flore extinctum fuiſſe. Etſi etiam illud lubenter damus accuſatoribus *Longolii*, nimis fortaſſe eum anxie Ciceronis orationem ſtuduiſſe exprimere ſuaeque vim non parum fregiſſe, illud tamen, non inuitis, opinamur, illis, nobis vere dicere videmur, maxime optabile eſſe, vt et Longolianum dicendi genus multis contingat, et complures noſtratium ad eamdem laudem adſpirent.

Haec de *Longolio* in mentem veniebat nobis de vita noſtri *Longolii* expoſituris. Numeratur enim ille *Longolius* in maioribus noſtri. Praeter alios atque eruditos viros, hac de re ſi quis plura cognoſcere cupiat, adire poterit illud, quod *vniuerſale* adpellare ſuis conditoribus viſum eſt, *lexicon*. Praeter ea operam dedit noſter, vt, quantum a maioribus gloriae ſplendoriſque acceperit, tantum iis ornamenti gloriaeque redderet. Atque etſi Graecis Latiniſque litteris cum diſcendis tum ſcriptis et ore docendis in primis ſe dedit, plures tamen eru-

eruditionis partes ſibi explicandas illuſtrandasque ſumſit, praecipue laudabilem operam poſuit in hiſtoria Franconiae exponenda, quo in ſtudio eo felicius verſatus eſt, quo plura iuuenit, quae neque firmata ſatis auctoritate, neque in clara luce poſita eſſent. Sed ipſis lectoribus copiam faciemus de ſtudiis atque doctrina viri docti iudicandi: addito ſcriptorum illius indice.

Plinii epiſtolae cum notis variorum.
Haec Plinii editio, quam ſocio *Cortio* parauit, omnium et optima habetur et nitidiſſima. Prodiit Amſtelodami. a. XXXXIIII. 4.

Tacitus de moribus Germanorum. Curiae Regnitianae 8. Aliam auctiorem vir Doctus alio tempore et editionem vberrimis obſeruationibus inſtructam adornabit. Quia multos iam annos conſumſit in eruenda atque explicanda patriae noſtrae antiquitate multaque eximia edidit eius ſpecimina, vt obſeruationes in librum laudatum non diutius in muſeo lateant, litterarum cauſſa ſane optandum eſt. Multi quoque in votis habent; vt *Gellium* et *Diogenem Laertium*, quos quidem ante aliquot annos Curiae Regnitianae ſed obſeruationibus nudos edidit animaduerſionibus adornatos, vti in praefationibus promiſerat, in lucem prodire iubeat.

Luthers teutſche Bibel nebſt hier und da eingeſtreueten Gedächtnis-Reimen iedem Capitel beygefügten Gebethern und voraus-geſetzten Lebensbeſchreibungen der Marg-grafen Brandenburgiſchen Geblüts, ſo ſeit der Reformation die Lande oberhalb Ge-bürges beherrſchet. Hof 1736. Fol.

Diſput. de *Alberto iuniore Brandenburgico.* Curiae. a. XXXVI. 4.

Joh. Arnds Poſtille mit vorangeſetztem Inhalte über iede Erklärung und Regi-ſtern auch Vorreden. Hof 1736. 4.

Sonthoms goldenes Kleinod nebſt ei-nem Geſpräche des Herzens. Dranckmei-ſter von der geiſtlichen Hoffarth und Halls beſiegte Todesfurcht mit einer Vorrede. Hof 1737. 8.

Hiſtoria ἀνθρωποθυσίας.

Quamquam huius argumenti XXXII. edidit proluſiones, opus tamen nondum abſoluit, retentus hiſtoria patria conſcribenda. Neque vero hanc materiam manibus depoſuit, ſed in ſingulari libro reſumere atque perficere conſtituit.

A. *Gellii noctes Atticae* Curiae Regnit. a. XXXXI. 8. Hanc editionem ornat et praefatio doctiſſima et index vtiliſſimus.

Magnum lexicon vniuerſale, cuius editionem a primo volumine vsque ad XVIII. moderatus eſt.

Progr.

Progr. *Curia Regnitiana cur Curia?* anno XXXXVI.

Progr. *Curia Regnitiana, cur dicatur noſtris Hof?* a. XXXXVIIII.

Progr. *Vnde Curia cognominatur Regnitiana?* eod. anno.

Progr. *Ex quibus Regnitiis Curia cognominatur Regnitiana?*

Progr. *An Curiae Regnitianae prouincia hodierna priſca terra Regnitiana?* a. L.

Progr. *A priſca terra Regnitiana ſecernit cum Saxonibus commutata.*

Progr. *A priſca terra Regnitiana ſecernit clientes Ruthenicos, in prouincia curiana adhuc reſiduos.*

Progr. *De terrae Regnitianae vicinia olim S. R. I. aduocatorum.*

Progr. *A priſca terra Regnitiana ſecernit Monchbergenſia, Nealinum, Rehauienſia, Kotzauiam ſuperiorem, reliqua per Curianam prouinciam hodiernam hinc inde ſparſa ab S. R. I. Aduocatis Plauienſibus et Geranis addita Gynaeceo curiano.*

Sunt VI. proluſiones ſcholaſticae annis L. et LI. publicatae.

De terra Regnitiana. a. LII.

De pecuniae genere, quo terra Regnitiana venum iuit. a. LIII.

De groſſorum conditione, quibus terra Regnitiana venum iuit. eod. an.

De numorum ſumma, qua terra Regnitiana venum iuit.

De pretio interno pecuniae, qua terra Regnitiana venum iuit.

De finibus terrae Regnitianae.

Villarum omnium Regnitianae terrae tabula.

Diſp. *de Curia Regnitiana Sereniſſimorum Burggrauiorum Norimbergenſium Auguſtae Hohenzolleranae ſtirpis citius ac vulgo creditur, vrbe.* a. XXXXXVI.

Hanc materiam annis duobus ſequentibus in proluſionibus nonnullis continuauit.

Diſp. *de Curiae Regnitianae iudicio vrbico vulgo* Stadtgericht. a. LI.

Propylaeum Curiae Regnitianae ſubterraneae. a. LI.

In libro Fränckiſche Sammlung inſcripto Part. XI. p. 373. copioſius deſcripſit marmora.

De marmoribus in Curiae Regnitianae prouinciae et adiectis praefecturis. a. LII.

Multis acceſſionibus auctam legimus hanc proluſionem in libro modo laudato Part. XVII. p. 466. et XVIII. p. 552.

Hofiſche Brände. Sunt XIII. progr. ab an. XXXXXIII. usque ad XXXXXVI. edita.

Belagerung Hofs. a. LIII.

Des hofiſchen Gymnaſiums Geſchichte. P. I. anno XXXXIII. 4. P. altera anno XXXXVI.

Hof-

Hofiſche Gymnaſiums-Bibliothec bey Einweyhung der Waldeckiſchen Bibliothec. a. XXXXVII.

Derſelben Verfaſſung. an. LIIII.

Derſelben Beyträge. Conſtant VII. proluſionibus.

Neue Einrichtung der armen Schule zum Hof. a. XXXXVIII.

Von den derſelben erwieſenen Wohlthaten. a. L.

Vorſchmack einer vollſtändigen Jahrgeſchichte des Buchdruckerweſens der brandenburgiſchen Lande in Francken. anno XXXXII.
Hiſtoria ipſa ab auctore iam confecta eſt, et quae typis committatur, parata.

Verdienſte der Grafen Reus um die Stadt Hof. a. XXXXVI. Fol.

Verdienſte der Burg- und Markgräfinnen um das hofiſche Klarenkloſter. anno XXXXVI.

Vorhaben einer Adelgeſchichte der Brandenburgiſchen in Francken. anno XXXXIII.

Vermählungen der durchlauchtigſten Häuſer Brandenburg und Würtenberg. a. XXXXVIII.

conf. ſichere Nachrichten von Brandenburg-Kulmbach. P. I. Sect. I. vbi hoc de argumento plura diſſeruit *Longolius.*

Begebenheiten zwiſchen Markgraf Albrechten zu Brandenburg-Kulmbach und dem herzoglichen Hauſe Braunſchweig. a. L X.

Diſp. *De vera nominis Franconiae aetate.* an. L X I.

Sichre Nachrichten von Brandenburg-Kulmbach.

Specimen edidit Francofurthi ad Moenum a. X X X X V I I I I. Poſtea vero Curiae a L I. opus plenius, cuius VIIII. pars lucem iam adſpexit, incepit. Plura exſpectabimus volumina.

Charta indubitate lintea hactenus notis antiquior. a. L X I I.

Quum *Gerardus Meermannus*, Syndicus Roterodamenſis, praemio propoſito eruditos homines ad vltimam chartae linteae aetatem inquirendam alliceret: *Longolius* in hac proluſione, ſe, oſtendit, nullam antiquiorem vidiſſe chartam linteam, quam quae in ſcriniis publicis Onoldi aſſeruatur. In linguam teutonicam vertit atque menſtruo libello, qui Altdorfiſche Bibliothek der geſammten ſchönen Wiſſenſchaften inſcriptus Altorfi L X I I. editus eſt, Part. I. inſeruit: ſpemque fecit, hanc materiam copioſius exponendi. Contra ea, quae in ephemeridibus litterariis Gottingenſibus contra hanc tabulam monita fuerant, in eadem bibliotheca P. II. ſe defendit *Longolius*.

Curiam Regnit. nonnullo iure Hermundurorum cognominandam differit. X X I I I. a. L X I I I.

Poſt-

Poſt - Lexicon. Ienae. Praeter litteras G et H maxima a ex parte noſter elaborauit librum.

Praeterea *Suetonium* atque *Appuleium*, vberrimis commentariis inſtructos, *theſaurum antiquitatum Germanicarum*; *notitiam Variſcorum atque Hermundurorum*, adiecta mappa: quae omnia ſcripta tranquilliora exſpectant tempora, in lucem ſe editurum eſſe promittit.

Iuuat nunc libris clariſſimi *Longolii* indicatis vitam illius enarrare. Pagus eſt non procul Dresda, praelio inter Saxones et Boruſſos commiſſo nobilitatus, *Keſſelsdorf*, vbi noſter anno IIIIto huius ſaeculi ipſis Cal. Nouembr. in lucem editus eſt. Pater *M. Io. Daniel* primum in eo pago, deinde Vualrodii atque Armsdorfi ſacra faciebat. E numeroſa prole, nam vndecim liberos genuit, noſter maximus natu erat. Elementis doctrinae a patre perceptis anno XVIIII. *Dresdam* miſſus eſt. Qua in vrbe in ſchola cruciana magiſtris vſus *Gelenio*, *Gellio*, *Ziegenhalſen* et *Knauthio*, in quo viro mira fuit iuuenum erudiendorum peritia. *Io. Hubſchen*, qui nunc in ſchola portenſi mathemata docet, et illa tum tradidit. Anno XXIIII. ſe contulit Lipſiam, in numerum eorum relatus qui publico conuictu fruuntur. Litterarum addiſcendarum cauſſa adiit doctiſſimos viros, ita vt philoſophiam a *Ienichenio*, *Lehmanno*, *Lu-*

Ludouico, *Rudigero*, atque *Cortio*; hiſtoriam a *Menkenio*; matheſin ab *Hauſſenio* atque *Dietzieo*; theologiam a *Boernero*, *Clauſingio*, *Deylingio* atque *Pfeiffero*, iurisprudentiam a *Cortio* diſceret. Anno XXVIIII. magiſtri dignitate ornatus defendit diſputationem, *origines ἀνθρωποθυσίας a vulgari crudelitatis crimine vindicatae*, inſcriptam. Scholas hiſtoricas philoſophicas et criticas aperuit, atque *Menkenio* in ſcribendis Actis eruditorum operam nauauit. Anno XXXII, Hamburgenſi quodam comite adſumto, per inferiorem Saxoniam iter fecit, et cum viros eruditos in quoque loco tum bibliothecas adiit. Lipſiam redux factus erudiendae iuuentuti vacauit: quo in negotio adeo diligentiam ſuam et doctrinam probauit proceribus aulae Saxonicae, vt Profeſſor extra ordinem conſtitueretur. Adcidit eodem tempore vt in academia Halenſi idem munus noſtro a *Ludouico*, illius academiae cancellario, offerretur. Sed fuerunt cauſſae quaedam, cur hanc conditionem reiiceret, commendatus anno XXXV. a *Kappio* ſenatui *Curiae Regnitianae*, et Gymnaſii Rector conſtitutus. Antea quam Lipſia diſceſſit a philoſophorum ordine adſeſſor renunciatus eſt. Curiae in matrimonium duxit *Erdmund. Dorotheam Baumgarteniam*, qua mortua duxit *Eliſabetham Suſannam Heroldiam*, e qua duas filias ſuſcepit. Societates, artium Auguſtae Vindelicorum, Latina Ienenſis et nuper Teu-

Teutonica Altorſina in collegia ſua cooptarunt noſtrum.

Hactenus de vita noſtri. Quae pertineant ad imaginem conſuetudinis animique declarandam paucis indicabimus. Eſt vir modeſtus, grauis, temporibus ſapienter vtens, et veritatis amans: In munere adminiſtrando induſtrius atque laborioſus. Quanta religione aduerſus Deum eſt, tantum abhorret ab omni ſuperſtitione. Multos quidem habuit obtrectatores, id quod optimo cuique adcidit, ſed patiens fuit, aliorumque iniurias aequo animo tulit. Salute alumnorum ſuae diſciplinae, famaque Gymnaſii nihil illi prius eſt, nihil antiquius. Haec ſunto teſtimonia. Quum Curiae nulla antea eſſet bibliotheca publica, non ſolum, vt compararetur, auctor ſuaſorque fuit, ſed omnem quoque dedit operam, vt locupletaretur. Idem conditionem ſatis amplam Ratisbonae nuper oblatam amore principis, et Gymnaſii recuſauit. Quamquam in cognoſcenda medii aeui et patriae hiſtoria, in re numaria, in conquirendis et explicandis diplomatibus plurimum temporis conſumit, lectionem tamen graecorum pariter atque Latinorum ſcriptorum, non negligit. Prae caeteris autem amat Plinium iuniorem et Tacitum, eorumque dicendi genus. Erga peregrinos humanus eſt atque officioſus, tantaque fide in aliis ſubleuandis vtitur, vt iudicari poſſit, omnia ei cum amicis eſſe communia.

IO.

M. IOANNES FRIDERICVS FISCHERVS.

Profeſſor extra ordinem humaniorum litterarum in academia Lipſienſi et Conrector ſcholae Thomanae *

Coburgum, paruum quidem, ſed amoenum oppidum in Franconia, habet patriam, ibique natus eſt anno huius ſaeculi XXIIII. patre *Erdmanno Rudolpho*, ſummo ſacrorum antiſtite agri Coburgenſis, Sereniſſimi item ducis a confeſſionibus, viro pluribus ſcriptis celebri. Mater erat *Catharina Barbara* e gente Hoffmanniana. Patrem principem et ad ſuſcipiendam et ad ingrediendam rationem ſtudiorum, quibus poſtea famam conſequutus eſt, extitiſſe, (nam ab eo graecis et latinis litteris eruditus eſt) gratus profitetur. Calcar addiderunt aemulatio honeſta et conſuetudo cum aliis commilitonibus, poſtquam diſciplinae publicorum praeceptorum traditus eſt.

Vtebatur per biennium in ludo patriae litterario magiſtris *Frenzlino*, *Martinio*, *Sandio*; in Gymnaſio autem, quod a Caſimiro duce nomen habet, *Io. Conr. Schuuarzio*, *Treſenreuthero*,

* conſ. *Chriſtii* progr. quo magiſteria noſtri aliorumque iudicuntur.

thero, *Schubartho*, *Bergero*, *Albrechtio*, *Ehrenbergio*, *Linkio*que, quibus ducibus humanitatis ſtudia magis excoluit, et geometriam aliasque artes et initia quaedam philoſophiae arripuit. In primis de eo optime meriti ſunt *Schuuarzius* et *Treſenreutherus*, quorum peruulgata ſunt nomina. Ab his hebraicas litteras, chaldaicas, et ſyriacas ita percepit, vt, quod quidem plerumque fieri ſolet, in elementis addiſcendis Lipſiae tempus non deberet poſtea conſumere. Atque beati ſunt adoleſcentes, qui, dum in ſcholis adhuc verſantur, praeceptores habent et doctos et probos, qui curam rei domeſticae non ſordide anteponunt officio ſcholaſtico. Noſter Coburgi bis declamauit, primum *de templo pacis Romae*, deinde *de Silentiariis*. Doctores tam diligentia quam eruditione praeclaros nactus, iisque artibus, quibus aetas iuuenilis ad humanitatem informari ſolet, ſatis imbutus, qui in academiam ablegaretur, dignus habebatur.

Lipſiam vero, eruditiſſimis hominibus liberaliſſimisque ſtudiis ſemper affluentem, ſe, id quod parenti b. *Cyprianus* ſuaſerat, anno cIↃIↃCCXXXXIIII. contulit, a populari ſuo *Chriſtio*, Rectoris faſces tum tenente, albo academico inſcriptus. Nec habuit, quod conſilii poeniteret. Lipſia viris eo tempore floruit in his litteris, ad quas animum adpulerat, ſummis, *Leichio*, *Erneſtio*, *Kappio*, *Chriſtio*, quorum in-

interfuit recitationibus et publicis et priuatis, vt litteras latinas et graecas perdiſceret. Eos quoque ſectatus eſt, vt hiſtoriam catholicam, imperiique Romani, rei numariae antiqua, et ritus, cognoſceret vſumque ſcribendi dicendique haberet. Item *Chriſtium* artis poeticae et reilitterariae doctorem habuit. His omnibus iucundus fuit, praeſertim *Kappio*, qui eum formandis liberorum ſuorum et animis et moribus praepoſuit, et *Chriſtio*, qui eum non ſolum hoſpitio excepit, ſed multis quoque aliis in rebus, qua eſſet voluntate, vt aduerſus omnes populares, ita cum primis erga *Fiſcherum* a patre aliisque per litteras traditum, ſatis declarauit. Praeter ea ſuper omni philoſophia differentem audiuit et ſuper phyſica experimento rerum illuſtranda *Vuinclerum*; ſuper geometria *Kaeſtnerum*. Ad theologiae ſtudia conuerſus ſuper decretis eius adſuit, *Vuollio*, ſuper morum e ſententia ſacrorum praeceptis et ſuper legibus interpretandi, *Tellero*: in declamando, in Rabbinicis, Arabicis litteris, accentibus Hebraeorum et ritibus eius populi, *Hebenſtreitio*, in hiſtoria rei chriſtianae recentiore, *Beyero*. Vt ingenii ac profectus experimenta daret, declamauit publice ſemel: *de ieiuniis quatuor temporum*. Argumenta colloquio propoſita diſputauit bis *Chriſtio* praeeunte, *de Phaedro eiusque fabulis*; mox *Franzio* artium magiſtro, nunc profeſſore, *de fine, quem ſibi Deus propoſuerit in mundo cre-*

creando. Socius etiam fuit collegii, quod a multo tempore Lipſiae eſt, et cognominatur *Philobiblicum.*

Secundum ea philoſophiae profitendae primam lauream an. XXXXVIIII. tulit, in eaque panegyri carmen graecum, more his ſollemnitatibus Lipſiae conſueto, recitauit de *laudibus Grammaticorum.* Non multo poſt, ſupremos in philoſophia adeptus honores, alios docere philologiam incepit. Sex annos Lipſiae et diſcendo et docendo quum egiſſet, contigit vt poſt triſtem *Dreſigii* obitum ab ampliſſimo Senatu Lipſienſi, exhibito ante in doctiſſimorum virorum conſeſſu ſpecimine, ſchola Thomanae Conrector deligeretur, et a concilio ſacro in eo munere conſtitueretur, viribus exploratis. Rarum hoc euenit; ore enim tritum eſt prouerbium, vſuque confirmatum: Lipſia vult exſpectari. *

Imaginem conſuetudinis vitaeque vt exprimamus, lubet verbis ipſius viri docti in praefatione ad Platonem vti. " Ego ruſticus, inquit, atque ſimplex, qui nonniſi litterulis „recteque factorum conſcientia delector; „quem

* conf. parentis librum de vita *Verportenii*, quo noſtro munus Conrectoris gratulatus eſt.

„quem caſta atque integra religio, non anilis „ſuperſtitio nec ſimulatae pietatis pompa ineptiaeque iuuant; cui natura obſequendi „aliis adulandique facultatem maligna negauit, „reſiſtendum forti animo ſcholarum peſtibus „omnibus modis mihi perſuaſi: atque gratias „habeo maximas naturae non minus, quae liberum me, acrem contemnentemque humanas, res diuitias, paupertatem, praetextam, „pallium, vitam, pericula, mortem genuit, „quam fortunae, quae tam numeroſum rebus „meis gregem inuidorum acerrimorumque „obtrectatorum conciliauit et conduxit. Etenim quemadmodum aſſentatio et obſequium „et ſimulatio inſigniter humilis paruique animi „ſigna putantur, libertas atque veritas excelſae „magnaeque mentis indices recte habentur: ita „virtutem non ignoras ſine aduerſariis hebeſcere fere, labefactari, frangi, concidere, „odiis vero obtrectationibusque, vt ita loquar, „et querimoniis iniquorum ſuſtineri, firmari, „et tamquam cote quadam acui. Quoniam „igitur ſtudioſiſſime agendum mihi hoc intelligo, vt adoleſcentes, fidei meae atque „curae crediti, magnam mature familiaritatem „cum Latinis et Graecis auctoribus, e quorum „librorum vberrimis fontibus omnis liberalis „doctrinae humanaeque ſapientiae riui ad nos „manant, contrahant; quum vt aliarum rerum „ita litterarum ſtudia varietate ſapienti mirifice

„ſice et alantur et augeantur: ne officio mi„hi quidem non aliis deeſſe meo videar, ſoleo „quotannis fere alios, non ſingulis annis eos„dem libros enarrare: quam peruerſam con„ſuetudinem in ſcholis multis vigere et ſcio „et audio". Hactenus cl. *Fiſcherus* de ſemet ipſo.

Ob hanc vero libertatem et κολακακείας odium odia multorum contraxit. Cum *Dathio*, viro doctiſſimo, qui munere Profeſſoris linguarum Orientalium nunc cum laude fungitur, ante aliquot annos controuerſiam habuiſſe, ex ephemeridibus litterariis Erlangenſibus docemur. *Dathius* enim, qui in diſſertatione quadam Hoſeam exreliquiis verſionum Graecarum, Aquilae inprimis, V. T. illuſtrabat, plagii litterarii ex ſchedis *Fiſcheri* adcuſabatur; crimen vero depulſurus ille contendebat, ſe, quae nouitatis vtilitatisue ſpecimem praeberent, ea ex ſcholis *Erneſti*, non ex recitationibus *Fiſcheri*, quibus per paucas ſe interfuiſſe aiebat hebdomades, accepiſſe in ſuumque vſum conuertiſſe. Cum cl. *Woogio* etiam, linguarum Graecae et Latinae Profeſſore, de quo in praefatione ad *Aeſchinis* dialogos praecipue dixiſſe fertur, magna fuit lis et cauſſa. Multorum, ut dicit, idem diſcipulorum animum oppido ingratum, contumaciam, impietatem, aliorum vt taceam ſimultates, expertus, aliorum tamen doctrina, pietate

 gra-

gratoque animo ſemper recreatus eſt atque erectus. Fuerunt autem multi viri magna auctoritate dignitateque, qui veram conſtantemque cum eo colerent amicitiam: quorum principes ſunt, *Maſcouius*, *Kappius*, *Chriſtius*, *Vuollius*, *Stemlerus*, *Gesnerus*, *Heuſingerus* ſcholae Guelferbytanae Rector et *Belius*, qui eum, mortuo *Chriſtio*, ſingulari fauore atque patrocinio proſequutus eſt.* Quorum plauſu impulſus, nec aliorum inuidia deterritus inter labores ſcholaſticos magnam librorum copiam vel edidit, vel, quo magis aliorum commodis conſuleret, quum in officinis librariis noſtris non ſine magno pretio venirent, recenſuit. Quam grata illius opera viris doctis fuerit, teſtantur ephemerides litterariae, quae Lipſiae, Erlangae, Gottingae, Ratisbonae in lucem prodeunt, Actaque eruditorum Lipſienſium. Quas ſub *Frantzii Chriſtiique* praeſidio defenderat diſputationes, ſupra iam laudauimus. Ad reliqua igitur eius ſcripta peruenimus.

Diſputatio *de ara pacis.* Lipſiae anno XXXXVIIII.

Comment. *in Hebr. VIII, 3. nomine collegii philobiblici ad Chriſtoph. Sankium S. Theol. Licent. et ad S. Thomae Diaconum.* Lipſ. eod. anno.

* vid. praefat. in Platonem.

Anim-

Animaduerſiones in grammaticam Graecam Iac. Vuelleri. Lipſ. tribus voll. 8. anno L-LII.

Chriſt. Stockii clauis N. T. et V. T. Lipſiae LII. et LIII. 8.

Aeſchinis Socratici dialogi tres. Lipſ. a. LIII. e recenſione *Clerici* cl. *Fiſcherus* varietatem lectionum et indicem adiecit.

Anacreontis Odae a. LIIII. 8. e recenſione *Gulielmi Baxteri* cum eiusdem *Hen. Stephani* et *Taneguidi Fabri* notis.

Leusdenii libellus de hebraismis N. T. Lipſiae a. LIIII. 8.

Dreſigii commentarius de verbis mediis N. T. Lipſiae a. LV.

Ouidii opera. III. Vol. cum praefatione *Erneſti* et indice Heinſiano.

Paſoris lexicon manuale N. T. a. LV. 12.

Quantum hoc lexicon vtilitatis adferat tironibus, tantum iucunditatis doctioribus praefationem, adferre in ephemeridibus Erlangenſibus iudicatur.

Vuelleri grammatica Graeca. Lipſ. anno LVI. 8.

Moeridis Atticiſtae λεξεις. Lipſ. eod. a. 8.

Iuſtini hiſtoriae Philippicae e recenſione Graeuii. Lipſ. a. LVII. 8.

Specimen clauis verſſ. Graecarum V. T. Lipſ. a. LVIII. 8.

Axiochus. Lipſ. eod. a. 8. Graece recenſuit, notis illuſtrauit indicemque verborum locupletiſſimum cum *Hieron. Vuolfii* verſione latina notisque vberioribus adiecit.

Obſeruatt. criticae in Malachiam. a. LVIIII. 4.

Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. a. L. 8. eod. an. E recenſione et cum animaduerſionibus I. A. *Boſii* ſecundum eius alteram editionem a. CIↃIↃCLXXVI. *cl. Fiſcher*, addidit libellum variarum lectionum ex optimis editt. cum fragmento Nepotis in bibliotheca Guelphertyna cuſtodito, quod cl. *Heuſinger* Rector ediderat.

Platonis dialogi quatuor Euthyphro, apologia Socratis, Crito, Phaedo. Graece e recenſione Stephani, varietate lectionis animaduerſionibus criticis breuibus illuſtrati. Lipſ. a. LX. 8.

Promittit reliqua opp. Platonis cum claue, quae vt edat, auctores ephemerid. Lipſienſ. optant. Quosdam memini me videre dialogos. Platonis, manu ſcriptos Erlangae apud cel. *Reinhardum*, cuius vitam ſupra deſcripſimus.

Flori epitome rerum Romanarum ex recenſione I. G. Graeuii cum animaduerſionibus eiusdem. Lipſ. a. LX. 8.

Epiſtolae virorum quorumdam doctorum e bibliotheca collegii Paullini Lipſienſis ad Io. Andr. Boſium. Lipſ. eod. an. 8. pl. 3.

Quum harum litterarum auctores *Schefferus*, *Conringius*, *Graeuius*, *Saubertus*, *Bangertus*, *Mota*,

Mota, *Vorſtius*, *Axenius*, *Brummerus* et *Heinſius* in emendando Nepote, de quo edendo *Boſius* tunc cogitabat, eſſent verſati, *Fiſcherus* ſua editione curata, has in lucem proferre non dubitauit.

Palaephatus de incredibilibus hiſtoriis. Lipſ. LXI. 8.

Dreſigii editionem multo emendatiorem et copioſis obſeruatt. indiceque vberiore inſtructam et praefatione de Palaephato eiusque libro ornatam nunc prodiiſſe, laudant auctores ephem. Lipſienſ.

Haec publicauit noſter ad an. LXI, qui nouum ei honorem atque dignitatem adtulit Nactus enim eſt, multis difficultatibus ſuperatis, prouinciam humaniores litteras in academia Lipſienſi extra ordinem docendi. Quod munus oratione

De Ioachimo Camerario grammatico pariter atque theologo excellente:

habita et typis poſtea exſcripta adiit. More inſtitutoque academico conſueto praemiſit, proceres, et ciues academiae ad illam audiendam inuitaturus

Proluſionem de verſionibus graecis V. T. litterarum Hebraicarum magiſtris.

Nouam hanc ſpartam, ita vt et ſcholae ſuae et academiae conſulat, in poſterum quoque illum expleturum eſſe, ſperamus, atque ornaturum. Hoc adhuc anno in lucem prodierunt

Theophraſti characteres, *Caſauboni* commentario illuſtrati, varietate lectionum a cl. *Fiſchero* adiecta. Praeter ea *Iſocratis* et *reliquias Hexaplorum Origenianorum a Montefalconio collectas* ſe promiſit, cura ſua ſtudioque emendatius eſſe editurum.

IO. MICHAEL HEVSINGER

Ill. gymnaſii Iſenacenſis Director, et Societatis Latinae Ienenſis collega honorarius, Natus a. CIↃIↃCLXXX. *die VIIII. cal. Septembris, obiit* a. CIↃIↃCCLI. *die* VI. *cal. Martias*, *exactis vitae annis LX, cum V. menſibus.*

SVNDHVSAM, vicum in terris Gothanis habuit patriam. Patre vſus eſt *Georgio Franciſco*, diuinarum litterarum interprete, et matre *Anna Margaretha*, Nicolai Ekharti, artium magiſtri eodemque ſacro munere antea ibidem functi filia, quae anno aetatis nonageſimo ſexto expleto, huic ſuo filio ſuperſtes fuit. Fecundum horum parentum matrimonium, aliis quoque filiis fuit, qui bene educati, rei ſacrae pariter ac litterariae praefuerunt. Quorum ex vno viuit adhuc nepos et romanae graecaeque litteraturae fama floret, *Iac. Frid. Heuſinger*, Lycei Guelpherbytani Rector meritiſſimus, *Io. Michaelis noſtri* diſciplinae olim alumnus. Cepit vero domi noſter *Io. Michael* prima

prima litterarum primordia educatus a parentibus. Poſtea *Gorbam* amandatus diſcendi cauſſa, praeter *Reichardum*, *Laurentium*, *Keslerum* et *Hildebrandum* pependit ab ore diſertiſſimi *Gottf. Vockerodi*, viri meritis ſuis celebratiſſimi. Conſtat et ſaepe nobis narratum eſt, huius diſciplinam prorſus eximiam fuiſſe, immenſa certe adoleſcentum vndique Gotham confluentium multitudine comprobatam. In quibus quamuis multi laudentur eruditionis atque meritorum claritudine praecellentes: vix tamen inueneris vel vnum aliquem, qui ſuis poſt ſtudiis obſequutus, *Vockerodi* doctrinam plenius referret, ad eiusdem duntaxat ſtili ſimilitudinem proprius adcederet, quam HEVSINGERVS noſter qui etiam elegantiſſimum ſcribendi magiſtrum non aequaſſe tantum, ſed ſuperaſſe, cuiuis huius artis intelligenti videatur.

Maturus noſter academicis inſtitutionibus anno CIƆIƆCCVIII. petiit *Halam*, abs *Thomaſio*, faſces tenente in academicorum hominum coetum cooptatus. Delegerat ipſe ſanctiorem doctrinam, cui ſeſe dederet. Quod conſilium quibus tum rationibus adductus ſuſceperit, ignoramus; hoc cognouimus ipſi ex ore eius, vituperandam eſſe conſuetudinem, quae teneret ſaeculo noſtro, et in dies inualeſceret, vt cum humanitatis ſtudiis theologiam, vnice coniungeremus; aptiorem his eſſe, et ad futuros ſcholae vſus multo opportuniorem iuris ſcien-

tiam *. Ipſe tamen ſanctiorem diſciplinam ſibi ſumſerat excolendam: in qua doctores habuit celeberrimi nominis viros *Breithauptium*, *Antonium*, *Frankium*. Coniuxint cum hac hebraicas recitationes *Michaelis*, et philoſophicas *Ridigeri*. Subſidio litterario ſereniſſimi principis Gothani munificentia impetrato, *Ienam* anno poſt commigrauit ſub auctumni tempus, vbi vſus eſt in ſacris praelectionibus *Buddeo* doctore, in philologicis *Danzio*. Anno hic transacto, reuocatus in patriam Gothanae bibliothecae ſcrinia diligenter excutit, et theſauros cognoſcit, e quibus poſtea, Profeſſor in gymnaſio conſtitutus, profecit ad edendos veteris Graeciae Latiique ſcriptores. Reuertitur vero noſter verno tempore a. CIↃIↃCCXI. *Halam*, vbi praeter nominatos ſupra doctores, colit auditiones theologicas apud *Langium*, hiſtoricas apud *Gundlingium* et *Ludouicum*, apud *Wolfium* mathematicas. Coelum mutare coactus ob infirmitatem valetudinis, litterarium ſuſcepit iter *Iſenacum*, *Caſſelas*, *Marburgum*, *Giſſam*, multosque homines dignitate munerum et doctrinae laudibus excellentes vitae probitate et ingenii elegantia ſibi conciliauit, in his *Mollenbeccium*, Ludouicianae academiae cancellarium, qui tantum eius fiduciam habuit, vt for-

* conf. HEVSING. theſium miſcellan centur. II. n. 15, 64.

ſormandis ſuorum filiorum ingeniis ac moribus a. CIↃIↃCCXV. praeponeret HEVSINGERVM. Hic vero, habita *Gieſſae* quoque ſui inſtituti ratione, adit ad celeberrimos doctrina viros, in mathematicis potiſſimum ſcholis audit *Liebknechtium*, et opportunitatis, quam nactus erat, memor, operam dat *Mollenbeccio* atque *Crollmanno*, doctoribus iurisprudentiae, cui operari in rem putat eſſe ſuam. Diſputando periclitatus hic in litterariis certaminibus aliquoties vires, probatusque, quum laudem eruditionis non mediocrem adquiſiuiſſet, ab illuſtriſſimo comite Solmenſi *Friderico Erneſto* vitae filiorum gubernandae, paullo poſt a. CIↃIↃCCXXII. regendae Laubacenſis ſcholae munus accepit. Anno CIↃIↃCCXXX. *Gotham* arceſſitus profeſſor in Gymnaſio magna tum doctrinae, tum diſciplinae fama fuit. Quo factum eſt, vt *Iſenacum* inuitaretur ad ornandam directoris prouinciam; quam quum ſuſcipere neque vellet, neque poſſet, niſi commeatu ab ſereniſſimo principe Gothano impetrato, neque res difficultatis nihil habere videretur, tandem Sereniſſimi *Vuilhelmi Henrici* ad Sereniſſimum *Fridericum* III. litteris conceſſus venit *Iſenacum* a. CIↃIↃCCXXXVIII.

Qua hic dignitate fuerit, et apud omnes exiſtimatione, patebit ex iis quae ſequuntur: iam praecipua quaedam reſtant, quae generatim commemoraſſe ſatis ſit. Obiit hic diem, quum diu-

diutius per aetatem viuere potuiſſet bonis lugentibus cunctis. Valetudine vſus eſt ſatis commoda, niſi quod ex pedibus nonnumquam doleret. In matrimonio habuit *Annam Margaretham*, Conradi Raſoris, medici doctoris Francofurtani et poſtea Naſſou. Idſtenienſis filiam, die XVII. cal. Aug. a. cIɔIɔccxxxxvIII. mortuam. Ex matrimonio cum hac ſuſcepit filium vnicum *Fridericum*, qui Sereniſſimi ducis Iſenacenſis et Vinarienſis ab epiſtolis fuit, et poſt *Dan. Peucerum* in regundo illuſtri gymnaſio, raro admodum exemplo, parenti ſucceſſit, ſed praematuris iam fatis interceptus; ſuſcepit etiam par filiarum, quarum altera quarto aetatis finiit, altera Hannib. Georg. Hoffmanno, aduocato aulico ordinario et ſupremo tributorum collectori iuncta etiam nunc viuit.

Explicita nunc erat ſumma vitae *Heuſingerianae*. Sed operae pretium fuerit, capitulatim quaedam addere, quae noſſe interſit eruditorum lectorum. Noſcendum eſt adcuratius HEVSINGERI ingenium, noſcendi mores, noſcenda ſunt alia decora, quibus excelluerit. De moribus primum. Quid cuique deberet, quid Deo, quid hominibus, ſummis, paribus, infimis, hoc perpetuo tenuit, atque colere et facere ſuum duxit. De religione animi et pietate erga Deum nihil attinet plura dicere; atque hanc etiam muneris publici rationes poſtulabant.

labant. Amans ſacrorum caſtiorum numquam non ſummam aduerſus ſupremum Numen reuerentiam adhibuit; id, quod ex dictis factisque eluxit. Tam domi, quam in ſchola ſollemnibus precum carminibus ſumma religione ſemper intererat, ſaepe praeerat; oraculorum diuinorum tam ſollers lector, quam diligens enarrator. In publicis ſacris frequens erat, et religioſas caerimonias venerabundus obibat. Tanta vero quum eſſet in Deum pietate non poterat non eſſe a ſuperſtitione alienus. Quo factum eſt, vt improbaret morem, templi matutinis quintae cuiusque feriae horis adeundi, et conſentiente ſacro ſenatu tolleret, quum ſatis intellectum eſſet, non effici plerumque, in quae tenderet hoc inſtitutum. Itaque tres ſuperiores ordines, exceptis iis, quorum opera in ſacris cantu celebrandis erat neceſſaria, legendo, diſputando, verſibus pangendis exerceri iubebat in ſchola, quoniam videbat, his, quae negligentius antea tempore excluſis eſſent tractata, ingeniis liberaliori cultu poliendis opus eſſe *. Magiſtratui ſcholaſtico et patronis, quia vehementer carus, ſemperque, quoties adeundi copiam peteret, honorifice exceptus fuit, nullis plane neque de diſciplinae neque de vitae degendae ratione querelis vmquam inauditis: in promtu eſt videre, nihil ab eo prae-

* conf. eentur. theſ. miſcell. II, 2, 3.

praetermiſſum, quod perſonis publicis conueniret; teſtemque in primis locupletem habemus *Vueiſſenbornium*, theologum doctorem et praeſulem ſacrorum Iſenacenſium ſupremum, qui ſumma eum eſt humanitate ac comitate complexus. Cum collegis dubitamus, an vmquam in gratiam redierit. Viuebat enim cum iis et coniunctiſſime et amantiſſime; ſaepeque recordamur cum voluptate, qua reuerentia hi praeſentem proſequerentur, et nominarent abſentem. Rei familiaris prudens fuit ac diligens, ita tamen, vt cum coniuge de ſupplicum egeſtate ſuſtentanda certaret. Nihil domi exauditum rixarum, nihil cognitum, quod vituperes; plena liberalioris vitae et in exemplum cuncta. Decori erat ſtudioſiſſimus, ſuperflui, ſi quisquam, abſtinens. Educationi liberorum, qua ratione praefuerit, teſtis exſtitit filius, teſtis filia ad ſuae fortunae honeſtatisque omnis cultum educti, vniuerſis probatiſſimi. Ad alumnos vero totius gymnaſii, in primis ſuperiorum ordinum vt deueniamus, incredibile dictu eſt, apud hos quanta tum gratia tum auctoritate viguerit noſter.

Cogitantibus nobis, qua potiſſimum arte ac via hanc dignitatem exiſtimationemque tam ſecundam collegerit, non occurrunt alia, niſi ſanctitas animi moderatioque et aequabilitas in omni vitae actu, qua caueri vnice potuit, ne quibus adfectibus perrumperetur; quibus fere noſcun-

ſcuntur homines in eam partem, ad quam imbecilli ſint, et expugnabiles malignitati alienae, cui tantum otii ſupereſt, vt inprobum aliorum agitare linguam vacet. Sic vero ſeſe gerendo, vt nullum indicium faceret, cui rei fieret conuicium, apud omnes, pueros, iuuenes, ſiue ipſius ordinibus adſcriptos, ſiue alienis, horumque que adeo parentes non poterat non tanta eſſe dignitate, exiſtimatione tanta, et ſiniſtros ſermones euadere. Obuius et expoſitus erat cunctis, plenusque humanitate; conſilia libenter ſuggerebat, eis praeſertim, quos meliorem in partem cognouerat. Deſignauerat eo nomine peculiares horas, quibus conſultum adirent, ſi qui haberent, quid exponerent, et doceri vellent. Rogatus pauperioribus diſcipulis auditiones priuatas gratis obire ſine cunctatione permittebat, omni vacans auaritia: hos etiam ſine diſcrimine exaequabat pari beneuolentia et adpellatione caeteris lautiore fortuna et parentum liberalitate commendatis. Horum vero nemini blandiebatur, ſibi praeſidere ratus iuuenes ſolere, qui ſe eſſe aliquid et ſcire ſcirent; laudum laudatis noxiarum, quae ſunt fere publicae, abſtinentiſſimus. Hoc vnice agebat, vt ſcholae ſuae ſeueritas et pudor conſtaret;* ſed occaſiones peccandi praecidere ſatius habebat, quam peccatis ex imprudentia vel im-

* conf. theſ. miſcell. cent. IIII, 58.

imbecillitate grauius iraſci *. Crebrior igitur erat in admonendo, quam in caſtigando: quo ſi quando eſſet opus, in primis ſollemne ipſi erat ſermonem adhibere ſale et felle conditum, quo notaret vitia, ac pictos ſuis coloribus prauos mores coargueret, atque hoc genere diſciplinae plurimum proficiebat. Rariſſime ſeuerioribus vtebatur remediis, nec niſi aduerſos eos, quorum reditus ad frugem eſſet plane deſperatus. Pauci oppido erant, de quibus, praediceret, actum eſſe, neque, quod mirum poſtea nobis viſum eſt, vmquam fefellit. Contigit contra ea praeceptori tantae adſiduitatis, quantae ſollertiae diſcipulis gaudere plurimis, quos omne genus litterarum nobilitauit, rei publicae multifariam vtiles. Nihilominus meminimus, dicere aliquando nobis optimum virum, optabile ſibi fuiſſe ſemper, vt haberet plures, quos in humanitatis ſtudiis ſuoque vitae genere oſtenderet, vehementerque idcirco laboraſſe; ſed admodum paucos eſſe, qui votis reſpondiſſent: atque par talium virorum nominabat.

TRANSIMVS nunc ad ſtudia huius viri, maximam quae ipſius nomini conciliarunt celebritatem. Quantum ex eis iudicare potuimus, ita informatus ab ipſa natura erat, vt memoria, ingenio, iudicio plurimum valeret. Nullum lit-

* vid. theſ. miſcellan cent. III, 60.

litterarum genus non attigerat, quia nullum eſt, quocum humanitatis ſtudia non ſint coniuncta. Operam dederat iurisprudentiae, cuius in antiquitate et hiſtoria romana, in ipſis quoque elegantioribus plenius tradendis vſum ſaepenumero celebrabat. Sanctioris doctrinae admodum erat intelligens, eius praeſertim partis, quae de vita et moribus praecipit, et ſacrum codicem numquam de manibus deponebat. Exercebat in hoc genere quotidie diſcentes, et hac inprimis pollebat doteex praelectis penſis vt aliqua ſemper capita, ſine orationis longioris iactantia et temporis diſpendio, tempori loco, perſonis opportune magnaque cum grauitate aptaret, poſt ſacra potiſſimum primae feriae publica. Artis ſalutaris tantum tenebat, quantum opus erat et ad legendos eius ſcriptores veteres et ad diſſerendum cum eis, qui hanc profitentur. Sed habitabat in philoſophia, verbo laxiore notione, vt ſit fere, elato. * Namque in omnibus eius partibus erat probe nec tam deſidioſae delectationi, quam communi vſui conuenienter verſatus. Nolumus quidem adfirmare, ex dialectica et metaphyſica ſcientia in numerato habuiſſe omnia nomina in ſterculino noſtratium philoſophorum nata, et miſeram infinitarum diſtinctionum ſtribliginem, ſed hac re

* conf. theſ. miſcell. cent. III, 60.

re non eſt opus. Sobrie philoſophandum eſſe ſciebat, nobisque videtur ipſe nulla re potuiſſe excruciari magis, quam impoſita neceſſitate conſcribendae diatribes, quales noſtratium pleraeque nunc ſunt, definitionibus, axiomatibus, corollariis, ſcholiis et innumerabilibus eorumdem verborum ac formularum quaſi iuratarum repetitionibus ad nauſeam vsque refertae, colores et ſpeciei priſtinae, atque ſucci adeo et ſanguinis inaniſſimae. Docent vero ſcripta eius, quam bene cogitata expromere, digerere, explanare, concludere potuerit: naturalem vbique rerum ordinem, non anxie quaeſitum, obſerues; ſequi nullo negotio poſſis, quo te ducat oratio, et abſoluta lectione teneas, quid quaque ratione effecerit. Non commemoramus eas philoſophiae partes, quae referuntur ad agendum, et in officii diſceptatione verſantur. qui praecipientem audiuerunt, ſciunt, quibus coloribus comprehenſam animo virtutis vitiique imaginem expreſſerit, qua fuerit perſpicientia in inueſtigandis vtriusque cauſſis et momentis ponderandis, in exquirendis agendi conſiliis. Ad ſcientiam properamus, quam profitentur hi, quos phyſicos et mathematicos adpellamus. Huic quantum, HEVSINGER noſter tribuerit, demonſtrant eius libelli, et laudes produnt, quibus diſciplinae ſuae alumnis vtramque celebrauit. Meminimus, quum adiremus aliquando magna feſtaque frequentia, in familiari collo-

locutione monere nos de excolenda rerum naturalium et mathematicarum doctrina, ac ſubiicere huic ſermoni, ſi cui libeat fortunam ſemper, et vbiuis terrarum in poteſtate habere, huic ſuadendum eſſe, vt praeter hiſtoriae et linguarum cognitionem, phyſicae ac mathematicae doctrinae ſtudeat.

PHILOSOPHIAE vero, ſi laxamentum vocabulo dederis, quamuis vehementer cuperet; tamen non is erat, qui hanc ſcholis vindicaret; ſatius eſſe, arbitratus, caeteris exerceri ſcholaſticos tirones artibus, ſine quibus haec philoſophia, et quidquid eſt ſcientiae altioris indaginis, male diſcatur; quasdam philoſophiae particulas hos tantum praeguſtare, et quaſi praenotionem habere volebat, vniuerſam conuenire academiis cenſebat, vbi ſaepe queri audias in ſcholis philoſophatos de doctorum imprudentia ſuae vel ignorantiae politiorum litterarum, vel ambitioni, quam tironum vtilitati magis ſeruientium *. Iniecta iam a nobis mentio eſt hiſtoriae, cuius, ſi quisquam ſui generis, amans erat ac peritus noſter. Sed per vitae munerumque rationes, quibus obſequenti ſcriptores antiqui quotidie legendi erant et interpretandi, comprehendenda inprimis fuerat memoria omnis veteris aeui clariſſimarumque rebus

* vid. Heuſing. miſcell. centur. I, 4. IIII, 8. conf. IIII, 14, 15, 94.

bus geſtis nationum, quam ita tenebat cum adminiculis, notitia vetuſtorum rituum ac fabularum, temporum notatione, locorum deſcriptione et caeteris, vt omnibus numeris perfectus abſolutusque haberi poſſet interpres. * Neque vero obſtabant huius rei ſtudia, quo minus animi pariter ac reipublicae cauſſa praeclaram operam poneret in pertractanda hiſtoria patria, cuius multas partes ſcriptis quoque ita enarrauit, publicorum tabulariorum copiis adiutus, vt res incognitas proferret in lucem; cognitas ſed obſcuras difficultatibus expediret, et rectius explicaret; falſo commemoratas coargueret, et ſuae reſtitueret integritati, ** omnes mundiore ac nitidiore romani ſermonis cultu indueret; ſed nihil gratis ſumeret; omnia capita monimentis fide dignis conſtabiliret. In quo ſaepe mirati ſumus, virum tantae in latinis litteris elegantiae verſari tam ſedulo potuiſſe in ipſa medii aeui barbarie; at omnia vicit patriae amor. Habet nunc res Iſenacenſis, ſcholaſtica praeſertim, vnde ſua initia, mutationes, incrementa

* conf. II, 24, 25. theſ. miſcell.

** Vnicum exemplum ſubiicimus. Vulgo creditum eſt, et doctiſſimi viri hodie errant hunc errorem, ſcholam Lutheri magiſtram Franciſcanorum monachorum fuiſſe: Sed docet ille in ſchola Georgiana, quae curialis eſſet, Lutherum fuiſſe eruditum. Vid. *diſſ. de veteri ſchola Iſenacenſi, Lutheri magiſtra.*

menta repetat; id quod Heuſingerianae debet induſtriae.

IVNGEBAT noſter omni hiſtoriae philoſophicam ac litterariam, quam dicimus, ac iungendam diſciplinae ſuae alumnis praecipue commendabat; quam, dictitabat, verae eruditionis cupidis vero eſſe exornamento, et ad omnes ſcientiae partes praeſidio. Sed feſtinamus ad illud noſtrae narrationis caput, in quo *Heuſingerum* repraeſentemus ſummum et in paucis plane diuinum. Superſunt enim humanitatis ſtudia, eximia notione nuncupata, de quibus commemoremus. Non fuit expers noſter hebraicae litteraturae, tantum eius didicerat, vt et docere poſſet, et ipſe codicem ſacrum recte intelligere. Atque docuit etiam aliquoties hebraica, ſed facile erat ad intelligendum, ipſum ingratiis ſuis hoc defungi officio. Cuius rei primaria cauſſa fuit, quod non adſueuerat recentioribus praeceptis, et aliorum quoque Iſenaci erat, non ipſius, hebraicas habere ſcholas. Nihilo minus honorifice de his litteris ſentiebat, et loquebatur. Sed in maximis deliciis habebat graecarum et latinarum litterarum ſtudia, a quibus vnum diem diuelli aegre ferebat. Recordamur dixiſſe quondam parenti noſtro poſt ſalutationem, rationem huius diei nequaquam ſibi conſtare videri adhuc officiis et occupationibus impedito, quo minus veterem aliquem ſcriptorem in manus ſumeret, quod facere nul-

lum diem praetermitteret. Profeſſum vitae genere haec ſtudia et ſcholae hoc nomine praepoſitum excellere quoque voluiſſe, facile colligimus, iudicamusque prudentiae hoc eſſe, quae ſui ſint inſtituti, non quae alieni, ſi quis potiſſimum curet.

Vere igitur adfirmauerimus, vix vllum Graeciae Latiique ſcriptorem extitiſſe quodammodo memorabilem, quem non legiſſet. Cognouerat decora ſaeculi cuiusque et vitia, cognouerat cuiusque ſcriptoris dotes, ingenium, doctrinam, ſtilum. Adſpirauerat quoque et alacritate iudicandi naturaliter innata adiutus, et multa lectione, et diurno harum linguarum vſu exercitatus ad eam facultatem, vt celeriter peruideret, quid in quaque ſcriptura veri ineſſet falſique, quid repugnans orationi et indoli ſcriptoris, quid conſentaneum foret; et criticum agebat, ſed liberalem, procliuiorem ſemper ad defendendam et explanandam priſtinam, quam ad inuehendam atque obtrudendam nouam ſcripturam. Quod reapſe demonſtrauit aliquoties, editis ſcriptoribus, magna cura, induſtria, et ingenio perpolitis, qui communi eruditorum plauſu fuerant excepti. In his nos quidem praeter animaduerſiones criticas, et ſeriem orationis emendatiſſime exſcriptam; admirati maxime ſumus praeclaras obſeruationes ſermonis cauſſa adiectas, atque indices pleniſſimos, in quibus nullum temere voca-

vocabulum, nullam loquendi formulam deſideres, et plurima inuenias copioſius expoſita et enucleatius. Patuit hoc idem, quum doceret noſter publice et priuatim, vbi talem ſeſe gerebat interpretem, qualis omnibus ſcholis foret optabilis. Praeibat ſaepenumero in difficilioribus maxime auctoribus ipſe, et ſine haeſitatione verſabatur in interpretando, non verbum verbo reddens germanice, ſed pro ratione huius linguae conuertens, et orationem e latino in germanicum traductam adeo doctus erat Germanorum ingenio adcommodare, vt germanice natam non latine praeformatam autumares. Quod quantae artis ſit * non neſciunt, qui periclitantur, et ſenſerunt ſaepenumero diſcipuli, quos eadem penſa a praeceptore expoſita, et recenſitis loquendi formis, caeteriſque memorabilibus illuſtrata retractare oportuit.

Atque ſi vel maxime hi iuberentur e latino transferre, praeceptore verba non praeeunte, huc tamen referebat ſemper hanc noſter exercitationem, ne latine diſcendo germanice dediſcerent. Locus hic nos admonet de pretio dicere, quod patrio ſermoni ſtatuerit. Tantum aberat, vt hunc contemneret, vt potius vehementer commendaret diſcentibus, praeſertim eis, qui guſtum haberent latinae grae-

* conf. Heuſing. miſcell. cent. IIII. adpend. 7.

graecaeque elegantiae, e qua peterent, ſi quid teutonici ſermonis nitori conduceret. Ratus igitur e latino vertendi exercitationem ad patriae linguae poſſe referri diſciplinam, vna fidelia duo dealbare parietes conſultius ducebat, quam huic peculiares vel horas vel operas tribuere. Quo factum eſt, vt raro audirentur germanicae publicaeque orationes. * Conſtare huic conſilio rationem, nemo facile negauerit, ſi ſuae eſt in deliberando ſpontis. Hanc igitur legem ſibi dixerat in omnibus auctoribus publice cum diſcentibus vel ex praeſcripto vel ex optione tractandis; in omnibus quoque parem deprehendiſſes. Sed ipſe ex his ſcriptoribus delegerat, quibus familiarius vteretur, quosque in ſinu quaſi foueret. Fuerunt ex graecis, quibuscum conſuetudinem contraxerat; at quoniam huius rei nihil magnopere nobis prodidit, vel prodidiſſe nos meminimus; praeter ea ſemper ille in romanis ſcriptoribus excellere viſus eſt: commemoramus potius Nepotem, Caeſarem, Virgilium, Horatium, Suetonium, Plinium iuniorem, Liuium in primis et Ciceronem. Sed Ciceronem vnum omnium maxime in oculis ferebat, et diurna nocturnaque verſabat manu. Hunc quoque mira ſimilitudine ſtilus eius exſcripſit; nosque ignoramus e recentioribus certe, qui ipſo

* conf. I, 91, 92.

ipſo propius a Ciceroniana elegantia et nitore romanorum natiuo abſit. * Vtebatur fere, ingenio ſuo ſi conuenienter ſcriberet, genere dicendi et mediocri et Rhodio. Neque vero iurauerat in verba Tullii magiſtri ** , conuertebat in vſus ſuos alia quoque, aliunde petita, e probatiſſimis tamen libentius ſi ſuppeditaret; ſingula vero adcommodabat ad indolem Tullianae phraſeos vniuerſae , atque eam in conſuetudinem ſeſe adduxerat , vt facultatem huius dictionis in familiari collocutione haberet. Vtebatur vero hac lingua , Italorum fere more, cunctanter et prouide , vt emendate et citra reprehenſionem loqueretur, miratosque audiuimus, quibus aliorum linguae prodigae infreneſque , fluentes ſemper et colluuione verborum aeſtuantes cognitae erant , virum tantae lectionis , tantae exercitationis tantaeque in ſcriptis concinnitatis tantopere cuſtodire linguam. Sed latine neſcire, quam male, loqui praeſtat, et di-

* Nolumus bono *Heuſingero* cum viro doct. laudes tribuere quas, ſi audiret, non agnoſceret ipſe profecto. Probabili ille dicendi genere uſus eſt, atque quam maxime puro: non ideo tamen Ciceroniano, nam verbis, opinamur, et dicendi formulis Ciceroniana oratio non abſoluitur. *Bembus*, *Sadoletus*, *Manutius*, *Longolius* et alii pauci colorem Ciceronianum referebant: nunquam *Heuſingerus*, licet bene ſcripſerit Latine. Elyſ.

** vid. theſ. miſcell. II, 65, 69. III, 7.

diſcimus latine, non vt loquamur *, ſed vt ſcribamus ſermone mutationum ex ſorte, in primis vt intelligamus antiquitus tradita, atque hoc ipſi adeo perſuaſum erat, vt publice profeſſus memoriae proderet. ** In ſcholis nihil ferebat, niſi quod latinum eſſet ad acerrimam veterum normam omnia verba formulasque omnes atque ipſam orationis continuandae rationem exigebat, ſubſtituebatque probatiora ſiue praeſens praeſentibus adeſſet, e veſtigio emendaturus, ſiue domi corrigendis ſtili exercitationibus vacaret. Namque ſollemne illi erat, quibusdam argumentis, quae dictauerat, limam ſtatim in ſcholis adhibere, et, de ſuis interpretamentis magna diſcentium parte interrogata, in tota ſcholaſticorum iuuenum concione, pronuntiare, corrigere vitioſa, recta probare, docere meliora, indicare, quae ſua vel cuiuscumque auctoris eſſent. Dictabat enim, vel quae ipſe in hanc rem domi compoſuerat, (neque vmquam tam erat temerarius, vt

* In vniuerſum hoc vix affirmari poſſe nobis videtur. Incidunt tempora quibus non magis opus eſt eleganter dicere, quam ſcribere: etſi hac facultate ſcribendi ſaepius vtamur. Sunt etiam noſtra aetate, quibus dicentibus eadem ineſt elegantia, idem orationis nitor, quem in ſcriptis eorum laudamus. Certe, vt iuuentus vtramque facultatem ſibi comparet, opera danda eſt. Elyſ.

** vid. v. 15. conf. III, 79.

vt dictaret, quae ipſe non praeformauiſſet ſuo ſtilo) vel, vt parceret tempori, quae legerat in optimis quibusque, tecto auctorum nomine, donec complurium diſcipulorum facultatem latini ſermonis exploraſſet; quo facto vel indicabat locos auctorum, vel ſi hi non eſſent in multorum manibus, excipere ex dictitantis ore iubebat diſcentes, vt domi compararent, quibus animus eſſet ſeuera lege proficere. Immo non putabat alienum linguae latinae diſcendae inſtitutis dictata dare, et in verbis et in formulis ab omni latinitatis probae vſu abhorrentia, et data opera ex recentiorum ſcriptorum ſordibus collecta, quae redderentur magiſtro, ſed lectioribus verbis et formulis exquiſitioribus elaborata. Ipſe vero dicere ſolebat, in ſuppeditanda huius generis materia ſe diutius torqueri, quam in exarandis reliquis litterarum monimentis. Certe ipſi male, quam bene, loqui, non minoris laboris videbatur. * Fere vero in materiem ſtili ab ſe elaboratam ſtudioſe intentior, domi emendabat diſcentium ſpecimina, adeoque diligens huius rei erat, vt non ſingula modo verba vel vitioſa eiiceret, ſubſtitutis melioribus, vel male poſita ordinaret, ſed totos etiam orationis ambitus reconcinnaret, longioresque partes retexeret, vt numeroſiores fierent et volubiliores. Dicere

vero

* vid. theſ. miſcell. centur. II, 40.

vero quandoque eum meminimus, quanto diutius inſudaret tollendis ſpeciminum vitiis, tamquam egerendo Augiae ſtabulo, tanto ſe ſibi minus in ſuis ſcriptionibus recentioribus ad antiquiores comparatis ſatis facere.

Aliquot ille propoſuit programmata, in quibus rationem ſuae diſciplinae redderet; quae ipſa conſulere lectores iubemus. Neque vinctam numeris orationem ſuos non docebat * indicatis ſaepe argumentis, quae amplificarent, et exornarent verſibus auditores, vel breuibus ſententiis, quas poetarum more exprimerent; ipſeque tanta valebat huius rei ſcientia in tam diuerſis metris, vt inter recitandum digito calleret et aure, ſi quid vitii ineſſet, ad medicinam parandam promtus ſine iactura temporis longiore. In poetis Virgilii ſummus erat admirator. Graecorum carminum compoſitione ſuos non excruciabat; neque vero nihil operae dabat graecis ſcribendi exercitationibus, in quo non iuſſis ſuperiorum magis obſecundabat, quam ſuae ipſius perſuaſioni, graece diſci opportunius poſſe, ſi graece aliquando ſcribatur. ** Publice tamen in conuocata ſollemniter auditorum frequentia graece vel hebraice perorare, alienum exiſtimabat, tantoque abſurdius,

* conſ. theſ. miſcell. cent. I, 15.

** vid. cent. IIII. adpend. 9.

dius, omnes linguas vna eademque oratione expromere.

Quod non obſtabat, quo minus ſuum pretium ſtatueret linguis, quas a florentiſſimis nationibus mutuati hodie frequentant Francogallicam *, Hetruſcam, Anglicanam; vehementer enim has ſuadebat diſcendas, recitari etiam ſeſtas id genus orationes patiebatur. Reſtant pauca, de quibus vitae ſcriptorem dici oporteat; nobis pauciora dicturis, quam par erat, quia non ſatis ſumus ad hanc rem inſtructi, et vera ſcribere, non ficta, geſtimus. Mentio enim facienda eſt eorum, quibuscum contraxerat noſter conſuetudinem, litteris vltro citroque mittendis, colloquendi. Non ignoramus quidem et dediſſe libenter et reddidiſſe epiſtolas, etiam iis, qui officii vel honoris cauſſa ſcriberent, in eaque re fuiſſe diligentem admodum et adſiduum; ſed ſermo hic eſt de epiſtolis in rem litterariam exaratis, quibus crebro coluiſſe et familiariter *Heumannum* et *Geſnerum* viros ſummos ſcimus. Cognouimus hoc et ex ipſius commemoratione, et ex ſcriptoribus ab hiſce triumuiris procuratis, in quibus inuicem laudant, laudantur, communicatis inter ipſos opinionibus. Praedicat quidem plurium humanitatem HEVSINGER in libris ab ſe publicatis, ſed nolumus adfirmare, perpetuam cum

* vid. cent. II, 14.

cum his fuiſſe colloquendi per litteras conſuetudinem, credimusque, in rem praeſentem datas eas eſſe et redditas, more hominum eruditorum officioſorumque, qui ſi quid habeant, quod publice proſit, inuicem non inuident.

Atque editione quidem ſcriptorum veterum gratiam iniit ab vniuerſis doctis, nec meminimus audire vel legere, controuerſiam ipſi eſſe motam, ſi ab *Auguſtino van Staueren* diſceſſeris. In quem etſi non eſſet inuectus, quum de ſuo Cornelio Nepote praefaretur noſter, ſed cauſſas tantummodo memorauiſſet diſſentiendi; tam male tamen fuiſſe exceptus dicitur, (ipſi enim non vidimus libellum) vt omne virus acerbitatis ac licentiae puerilis, quod poterat, euomeret Belga. Cui pro meritis reſpondere, cognouimus, in animo fuiſſe *Heuſingero* noſtro et aliis, quod an factum ſit, compertum non habemus; interceſſerunt fortaſſe fata. *

Haec

* Non poſſumus hic omnino Viro doctiſſ. aſſentiri, cui fortaſſe amor *Heuſingeri* caliginem aliquam offudit. Ediderat Cl *Staueren* Cornelium et contra hanc editionem *Heuſingerus* ſcripſerat *ſpicilegium emendationum et obſeruationum* &c. Habet Staueriana editio multa bona, ſed habet quoque non pauca, quae abeſſe poterant: quae accuratius paullo debebant explicari et exponi reſtant complura. Neque ſunt contemnenda omnino, quae vir quidam eruditus in *Actis Erudit. Lipſ. a. 1737.* monuit.

Heu-

Haec ſunto, quae cum eruditis communicemus de vita HEVSINGERI. Quae tradidimus, accepimus partim ex programmate, Iſenacenſis gymnaſii nomine ad celebrandas eius exſequias propoſito; partim ex epiſtola Friderici filii, viri poſt fata etiam clariſſimi; pleraque ipſi cognouimus praeſentes. Plura nullo negotio proferre potuiſſemus de moribus et opinionibus HEVSINGERI; ſed non libet longioribus eſſe. Qui philoſophiam de moribus et nominatim de animis hominum explorandis didi-

Heuſingerus pariter multa praeclara cum de lectionum varietate, tum de verbis et ſermone Latino monuit: boni interpretis partibus plerumque bene eſt functus: in quibusdam ſi errauerit, (vt errauit profecto, inprimis vbi pro *ad ſcenam eat* male legit *ad lenam*) nihil paſſus eſt, quod non illi cum omnibus aliis Criticis, cum toto hominum genere commune eſſet. Quae quidem vellemus cogitaſſet Cl. *Staueren* in ſcribendis *animaduerſionibus* illis, quae in *Obſeruationibus Miſcellaneis nouis* a *Doruillio* editis propoſitae ſunt. (vid. *Tom. VI.*) Nobis inprimis hoc minum viſum eſt, *Stauerum* ſibi, nomen *Heuſingeri* plane ignotum et inauditum antea fuiſſe ſatis grauiter pronunciare quaſi aut *Heuſingeri* haec culpa fuiſſet, qui profecto iam tum ea ſcripſerat, quae illius nomen viris doctis commendauerant, aut ante editionem Cornelianam quisquam vel audiuiſſet nomen *Staverianum*, quod fortaſſe neque nunc, licet pluribus a viro docto editis, ad vtramque ſolis domum peruenit. Nolumus aliquam iniuriam Cl. *Staueren* facere, quem virum eruditum

didicit, deprehendet quaſi ſigna quaedam, et notas huius rei in theſium miſcellanearum centuriis; ab HEVSINGERO vulgatis, ex quibus de ipſius ingenio coniectura trahat probabilia. Exſtat quoque oratio piis HEVSINGERI manibus a ſocietate latina Ienenſi conſecrata, et elogium eiusdem legitur in actorum huius ſocietatis a cel. directore *I. E. I. Walchio* editorum Vol. I. p. 277. Hoc addimus, in rem litterariam optandum eſſe, vt publicae ipſius orationes, quibus rectori ſollemnes gymnaſii

tum eſſe nunquam negabimus. Sed digna nobis tamen viſa eſt aliqua animaduerſione illa ſuperbiloquentia. Nouimus denique reſpondiſſe *Heuſingerum* aduerſario ſuo, atque in *ſelectis ſcholaſticis* a Cl. *Biedermanno* collectis propoſuiſſe *Diſcuſſionem obſeruationum Belgicarum in ſuas emendationes ad Corn. Nepot. imperatores III. priores ab Auguſtino a Staueren Miſcell. Obſeruatt. crit. adiectarum.* vid. *Vol. II. Faſc. 2. p. 655.* Nobis, qui hanc defenſionem non legimus, neque iudicare de illa licet. Pariter nondum vidimus alteram Cornelii editionem Staueriananı, quae a. LV. forma minori Lugduni prodiit. Dicitur vero Cl. *Staueren* maiori aequitate et moderatione animi *Heuſingerianas* opiniones examinaſſe. Et fortaſſe *leniit albeſcens animum capillus.* Si quid nobis videatur, libere dicendum eſt, *Heuſingerum* in quibusdam lapſum et humani aliquid paſſum eſſe, *Stauerum* autem, neque eum omnino erroribus immunem, paullo modeſtius peccata ab aduerſario, vt putabat, ſuo, commiſſa notare debuiſſe, arbitramur. Elyſiano.

naſii Iſenacenſis luſtrationes auſpicari mos eſt, lectiſſimi omnes argumenti, germana latinitate, prodeant aliquando in publicum; vel, ſi hoc nimium ſit optare, vt paretur duntaxat editio libellorum eius vniuerſorum, gymnaſii cauſſa typis exſcriptorum, quos, vix iam parabiles, plurimorum intererat in manus venire. Hic vt tandem recenſeamus ab HEVSINGERO ſcripta, adcuratius paullo quam vsquam factum ſit, reliquum eſt.

Auctores veteres editi.

Iuliani imp. Caeſares, cum integris doctorum aliquot virorum, ſelectis Spanhemii et editoris adnotationibus; latina Cunaei et Francogallica Spanhemii interpretatione, Sponii diſſertatione de vſu rei numariae in phyſiognomia et indice verborum graec. Gothae CIↃIↃCCXXXVI. in 8.

Aeſopi Fabulae graecae cum interpretatione Camerarii, Hudſoni et editoris emendationibus et explicationibus, graeco item indice omnium verborum analytico. Iſenaci XXXXI. in 8.

Phaedri Fabulae ad exemplar Burmannian. recenſitae cum breuib. adnotationibus. Iſenaci XXXX. in 8.

M. T. Ciceronis orationes III. pro M. Marcello. Q. Ligario et rege Deiotaro emendatae et illuſtratae a. C. A. Heumanno; duae pro S. Roſcio Amerino et Philippicae II. recognitae et explanatae a I. M. Heuſingero. Iſenac. CIↃIↃCCXXXXI. in 8.

Cornelii Nepotis de vita excellentium imperatorum liber cum amiſſorum operum fragmentis, ſola vetuſtiſſimorum exemplarium fide recenſitus, perpetuisque adnotationibus criticis emendatus. Adcedunt chronologia omnium imperatorum, omniumque vocabulorum ac rerum index Boſianus, multo quam antea plenior et auctior. Iſenac. cIↄIↄccxxxxvII. in 8

M. T. Ciceronis de officiis libros parauit editioni, quam curaſſe etiam filius perhibetur, ſed oculis vſurpare exemplar nobis nondum licuit, quantumuis quaerentibus. *

Libri alii.

Franciſci Fabricii hiſtoria Ciceronis. Adcedit Chriſtoph. Cellarii hiſtoria explicandis epiſtolis Ciceronis adcommodata. xxvII. in 8.

Dan. Vechneri hellenolexia cum ſupplementis et adnotationibus. Gothae xxxIII. in 8.

Spicilegium emendationum et obſeruationum ſelectarum ad Cornel. Nepotis imperatores XVIII. priores. Iſenac. cIↄIↄccxxxxIIII. in 4.

Sup-

* Quantum nos ſcimus, nondum prodiit hic liber. Accepimus autem a certo homine, non ſolum codices quosdam manu exaratos oculis uſurpaſſe, et antiquiſſimas editiones diligenter excuſſiſſe, ſed incredibilem etiam operam in explicando illuſtrandoque hoc libro poſuiſſe Heuſingerum. Atque nihil magis optamus, quam ut tandem prodeant Heuſingerianae notae. Elyſ.

Supplementum latinitatis merito falſoque ſuſpectae adiectum Cellarii curis poſterioribus. Ienae cIↄIↄccxxxxv. in 12.

Emendationum libri II. quibus ex veterum ſcriptorum graecorum et latinorum integris aliquot voluminibus plurima menda eximuntur, multa eorum loca explicantur, nonnulla vindicantur. Accedunt eiusdem antibarbarae latini ſermonis obſeruationes in vnum corpuſculum collectae et multis partibus auctae: Poſt mortem auctoris edidit et indices neceſſarios adiecit. Fr. *Heuſinger.* I. M. filius. Gothae LI. in 8.

De peruulgatioribus aliquot erroribus grammaticorum diatribe, quae legitur in exercitationum ſocietatis lat. Ienenſis, cura F. A. *Hallbaueri* editarum vol. I.

De ſcriptoribus graecis et romanis nondum ad veterum exemplarium fidem ſatis emendatis diſſertatio, quae legitur in actor. ſoc. lat. Ien. edit. a. I. E. I. *Walchio* vol. I. num. IIII. pag. 40-67.

Diſputationes, quae vulgo dicuntur.

De noctiluca mercuriali, ſeu de luce, quam argentum viuum in tenebris fundit; ſub I. G. *Liebknecht.* Gieſſae XVI. in 4.

De graecis Aeſopi fabulis; defendente H. C. E. Popp. Iſenaci cIↄIↄccxxxviiii.

Emendationes aliquot locorum in Plinii epiſtolis, defend. C. I. Ruppſtein. Iſenac. xxxviiii.

De veteris pecuniae germanicae, maxime Iſenacenſis pretio, duae iunctim editae, defend. I. *Wil* et I. I. *Cramer.* Iſenac. XXXXIII.

De ſtudiis iuuentutis generoſo ſanguine ortae apud Romanos, defend. F. G. C. *a Spesbard.* Iſenac. cIↃIↃCCXXXXV.

Theſium miſcellanearum ordinariis diſputationibus in illuſtri gymnaſ. Iſenac. examinandarum. centur. I. XXXXI. cent. II. XXXXII. cent. III. XXXXIII. centur IIII. XXXXV. cent. V. XXXXVI. cent. VI. XXXXVII.

Proluſiones, argumentis conuenienter ordinatae.

Emendationes aliquot locorum Corn. Nepotis. Iſenac. XXXVIIII.

Nouae editionis Ciceroniani operis de officiis ſpecimen. Iſenac. XXXXVIIII.

De ſalutationibus romanorum matutinis ad Plin. epiſt XII. *libr.* III. Iſenac. XXXX.

Explicatio numi ſaecularis vrbis Romae milleſimo anno ſignati et hic aere expreſſi. Iſenac. XXXX.

De librorum ante vulgatum typographiae vſum raritate et pretio. Iſenac. XXXX. Exſtat ibid. programma germanice in ſylloge ſcriptorum pro tertio iubilaeo typographico Iſenacenſi.

De ſtudiorum militarium et litterariorum conſortio, die natali Chriſtiani Auguſti Com. in Solms ſcripta. Gieſſae cIↃIↃCCXXVIIII.

De

De forma bonae ſcholae, quum munus Directoris auſpicaretur. Iſenac. XXXXVIII.

De legitima ſtudiorum ſcholaſticorum maturitate. Iſenac. CIƆIƆCCXXXVIII.

De optima diſcentium ſtudia irritandi ratione. Iſenaci XXXVIIII.

De corrupti ſermonis latini diſciplina, in ſcholis publicis adhuc durante. ib. XXXXI.

De formandis et eligendis praeceptoribus. ib. CIƆIƆCCL.

De antiquis Iſenacenſium pietatis et humanitatis ſtudiis. ib. XXXVIII.

Docendi ratio in ſchola Iſenac. ante noſtra tempora vſurpata hodieque probata. ib. XXXXVI.

Iſenacenſis et Gothanae ſcholae inſtituta antiquitus conuenientia. ib. XXXXVIII.

Antiquiſſima ſtudiorum apud Iſenacenſis veſtigia. Pars I. XXXXVIIII. II. eod. anno. III. CIƆIƆCCL.

De veteri ſhola Iſenacenſi Lutheri magiſtra. ib. XXXXIII.

De ſereniſſ. dom. Saxon. meritis in ill. gymnaſium Iſenacenſe. XXXVIIII.

Auſpicatum ac felix ſcholis Saxonicis nomen Erneſtinum. ib. XXXXII.

Beneficiorum in eccleſiam Iſenacenſem a Sereniſſimis Marchionibus Miſnenſibus profectorum inſtaurata e diplomatibus memoria. Pars I. de Henrico illuſtri et Alberto Degeneri XXXIII. II. de Friderico admorſo XXXXIII. III. et

 IIII.

IIII. de Friderico Graui XXXXIIII. V. et VI. de Friderico Strenuo, Balthaſare et Guilielmo coelite fratribus, XXXXV. VII. de Balthaſare XXXXVI. VIII. et vltima de Friderico Simplici ſeu Pacifico XXXXVI.

Scholae Iſenacenſis inſtauratae initia et incrementa. XXXXV.

Priorum ſcholae Iſenacenſis rectorum vitae XXXXVII.

Mediorum - - - - - -

Poſteriorum - - - - - -

Scholae Iſenacenſis conrectores. XXXXVIII.

Scholae Iſenacenſis praeceptorum reliquorum vitae. XXXXVIII.

De hiſtoriae Iſenacenſis ſcriptoribus prioribus I. et II. CIↃIↃCCL.

De die natali illuſtriſſ. comitis Friderici Magno, com. in Solms a ſchola Laubacenſi celebrando. Gieſſae CIↃIↃCCL.

Einladung zum Dankfeſt wegen Wiedergeneſung des Durchl. Herzogs Wilhelm Heinrich zu Eiſenach. 1741.

Maeſtum ſupremae pietatis officium eidem ſereniſſ. principi ab ill. gymnaſ. Iſenacenſi perſoluendum. XXXXI.

Sereniſſ. Erneſti Auguſti aduentus in vrbem publica ſcholae laetitia exceptus carmine hexametro. CIↃIↃCCXXXXIIII.

Memoriae auguſti ſcholarum patroni Erneſti Auguſti cet. XXXXVIII.

OPE-

OPERARVM ERRORES.

Pag.	Lin.		lege
54.	22. nomino	——	nomine.
66.	23. diſcribuntur	——	deſcribuntur.
68.	17. Eleg. III. v. 19	——	Eleg. V. 49. et 50.
——	8. talit	——	lavit.
69.	20. ſuſceptt	——	ſuſcepit.
100.	25. derogent	——	derogant.
101.	1. fumae	——	famae.
——	2. poſt Antib. adde p. 41.		
——	5. poſt ſtudiis adde, quemque non poenitet famae		
——	7. perſuaſio	——	perſuaſi.
——	13. in funere adde p. 55. edit. Alten.		
102.	8. integritate	——	integritati.
——	9. pag. 8.	——	p. 29.
103.	l. antep. qualem	——	quem.
104.	vlt. poſt funere adde p. 56.		
105.	10. commemorata adde p. 14.		
106.	16. in funere adde p. 52.		
115.	14. Quid enim adde eo.		
125.	8. in epiſt. adde p. 15.		
126.	17. eruditoram	——	eruditorum.
129.	3. arguitur a Klotz adde in Antib. p. 27.		
130.	25. adferantur	——	adferuntur.
133.	15. vlciſcari	——	vlciſcar.
134.	20. impuro	——	ore.
——	10 viuci	——	vinci.
150.	26. obieciſſet	——	abieciſſet.
156.	6. ne	——	nec
——	20. novi	——	noſſem.
158.	7. ſporſa	——	ſparſa.
164.	25 cenſuiſſet	——	cenſuiſſem.
165.	2. quae	——	qua
169.	15. porcendum	——	parcendum.
170.	1. eſſe	——	eſſes.
——	25. alioqui	——	alioquin.

Pag.	Lin.		lege
175.	13. ſororis	——	ſonoris.
——	21. Saxonum	——	Teutonum.
176.	in not. puellas	——	puella.
185.	5. ſpecim	——	ſpeciem.
186.	penult. ſuam	——	ſuum.
187.	18. debebat	——	debebam.
188.	4. at. matiſſimam	——	ornatiſſimum.
192.	vlt. in quo praef.	——	de quo in praef.
193.	7. iudicium adde meum.		
200.	1. loquentem	——	canentem.
——	—— Onidiana	——	Ouidiana.
201.	19. erit[i]corum	——	criticorum.
——	23. poſſumus	——	poſſemus.
——	29. Byrgoph	——	Pyrgopolinices.
——	vlt. Zythophelus	——	Zythopinus.
——	—— Miphio	——	Milphio.
202.	14. meus	——	mus.
——	vlt. Nam	——	Nunc.
204.	n. VI. Suplementum libri Morhofiani de ratione conſcribendarum epiſtolarum.		
——	ib. Naeuius	——	Maeuius.
209.	1. poete	——	poetae.
218.	12. natas	——	natus.
239.	16. exceptae	——	excerptae.
245.	4. inuenit	——	inuenit.
251.	8. exſpectant	——	exſpectans.
253.	3. quaepertineant	——	pertinent.
266.	4. coniunxint	——	coniunxit.
268.	15. quarto aetatis finiit, lege quarto anno aet. vitam finiit.		
287.	12. minum	——	mirum.

Sunt plures, nouimus, errores: eos vero nunc indagare non vacat, indicabimus in parte proxima.

VA1
1548729

Google

Digitized by Google

Google